

768.
Xg. 30.

C

Fa

H

I.

III.

III.

C

2

PETRI CHRISTOPHORI
BURGMANNI,
Med. Doct.
S V C C I N C T V M
HYPOTHESEOS STAHLIANAE
EXAMEN
DE
ANIMA RATIONALI
CORPVS HVMANVM
STRVENTE.
MOTVSQVE VITALES
T AM
IN STATV SANO
QVAM
MORBOSO ADMINISTRANTE.

LIPSIAE,
Apud IO. FRID. GLEDITSCHII B. FILIVM,

1731.

PETRI CHRISTOPHORI
BARGMANNI
SACRUM TUTUM
HYPOTHESES STATHIANAE
EXAMEN
DE
ANIMA RATIONALI
CORPVS HUMANVM

IN STATA SAVIO
MORBO ADVENTURO

1711
TOMVS I
TITVLVS
EXPLANATI



LECTORI BENEVOLO SALVTEM.



Vando mutatio-
nes insignes fata-
que singularia,
quae Arti saluta-
ri ab omni retro
tempore accide-
re, animo meo
voluo atque reuoluo, eorumque
occasiones atque causas curatius
mihi perscrutandas sumo; varias
equidem obseruo, quae in censem
venire queant, nullam autem ma-
iori ei detimento fuisse, quam ni-

2 mium

P R A E F A T I O.

mium hypotheses fingendi atque
propalandi studium animaduerto.
Ex eo enim praecipuae, quae Me-
dicinam inuaserunt, corruptelae
originem traxerunt, plurimique
errores, qui eandem deformarunt,
profluxerunt. Maioribus nostris
iam olim id perspectum fuisse, inde
condiscere satis licet, quod in hac
peste Medicinae pomœriis extur-
banda, omni studio elaborarint,
sapienter rati, hac sublata, reliquis
erroribus atque vitiis nullum am-
plius aut exiguum in medicina lo-
cum fore. Quamquam autem in
lue hac pernicioſa profliganda
non contemnendos fecerint pro-
gressus, hydraeque huic lerneae ca-
pita feliciter satis amputauerint;
impedire tamen non potuere, quo
minus detruncatorum vices alia
occuparint, eorumque loco noua
propullularint, quae luxurians ho-
minum

P R A E F A T I O:

minum ingenium exclusit, semper ad noua, licet non vndique meliora, quam maxime proclue. Factum hinc est, quod Medicinae nostris adhuc temporibus, quibus tot nouarum ceteroquin veritatum augmento amplificata est, sub commentorum iejunorum mole ingemiscendum sit, cum quilibet ferme, qui non nihil sapere sibi videtur, nouas vel generales vel speciales in Medicinam introducat hypotheses. Recenseri has internon immerito paradoxam illam, quam de potentia animae in corpus humanum fouet Illustr. STAH-LIVS vna cum Asseclis suis, sententiam, ambigi non potest, quandoquidem ipsa ipsius exactior consideratio satis superque illud arguit. Publice id iam significarunt vno plures, haud infimi subsellii Viri erudit, dataque occasione, varia contra

P R A E F A T I O.

tra istam hypothesis in scriptis suis
monuerunt, siquidem illis ignotum
esse non poterat, multa a Viris hi-
fce Cl. fingi, animaeque tribui,
quae nullo ipsi iure adscribi pos-
sunt. Cum itaque ante aliquot
annos mihi etiam, occasione qua-
dam publica sic ferente, hancce Vi-
ri Cel. hypothesis penitus expen-
dere atque excutere, iniunctum
ferme esset, nullo negotio compro-
baui, multis figmentis interpola-
tam esse hanc sententiam, nec
omnia, quae de Anima Vir Cel.
vna cum Aseclis suis tradidit, tam
exploratae esse veritatis, ut nullas
patiantur exceptiones, aut com-
fundamento oppugnari non pos-
sint. Ulterius hinc et excitatus et
progressus sum, horisque subscep-
tis omnia Cl. horum Virorum scri-
pta, quotquot ad manus erant,
perlustrare, rationesque hinc inde
E) C di-

P R I A E F A T I O .

dispersas, quibus hypothesin istam
confirmari posse, sibi persuadebant,
colligere atque peruestigare insti-
tui. Quo facto magis adhuc didi-
ci, fundamento prorsus ruinoso
vniuersam hypothesin superstru-
ctam esse. Animum itaque indu-
xi, peculiari ostendere scripto, tan-
ti istam hypothesin faciendam
non esse, quanti eandem Viri Cel-
ducunt, praesertim cum tunc tem-
poris, quo haec meditabar, ex in-
stituto contra eandem nihil typis
esset diuulgatum. Sed ecce ! in
mediis his cogitationibus duplex
intercessit impedimentum, quod
ut animum calumnumque abiecis-
sem, propositumque mutassem,
ferme effecisset. Scilicet, accep-
ram, binos tractatus nuperime ty-
pis expressos esse, qui hypothesi
Stahlianae oppositi erant, eoque
meam qualencunque operam su-

-imo

(4

per-

PRAEFATIO

peruacaneam reddere videbantur.
Prior horum autorem agnoscit Cl.
STENTZELIVM, cuius *Tra-*
ctat de Naturae Stahlianae in Chi-
rurgia impotentia Witteb.
MDCCXXIX. editus est; poste-
rior, Cl. MART. NAGY BO-
ROSNYAI, qui *Disquisit. de*
Potentia et impotentia animae hu-
manae in corpus organicum sibi iul-
etum dedit, Hal. 1729. impressam.
Verum enim vero quamprimum
iidem ad manus meas peruenie-
rant, et diligentius a me perlustrati
erant, nil inueni, quod a proposito
me retraheret. Prior enim, qui a
CL STENTZELIO profectus,
nil habet, quod instituto meo re-
spondet. Posteriorem quidem
eo comparatum esse deprehendi,
sed lecto eodem attentius, intellexi,
Virum Cl. partim rationes atque
exceptiones Stahlianorum varias
omi-

Dei -

+ X

P R A E F A T I O.

omisisse, partim argumenta eorum adducta non omnino exhausisse, partim nec ipsa horum Virorum verba aut scripta citasse, partim etiam non omne id, quod in me receperam, pertractasse. Quapropter laborem, quem mihi imposueram, persequendum duxi, tametsi haec duo scripta iam publicata erant. At superata hac difficultate alia animo se meo offerebat, magis adhuc me excrucians atque turbans. Videlicet, quod ex scriptis Cl. ALBERTI, quae vocat die Medicinalischen und Philosophischen Schriften, cognoscebam, Virum Cl. hypothesium suarum discussionem male ferre, et non tranquilla, sed, ne grauius quid dicam, immodesta, Litteratoque minus decente ratione in controversiis pertractandis versari. Relicta quippe ipsa, ad personalia, quod aiunt, ferme di-

P R I A E F A T I O.

greditur, virorumque doctorum existimationi conuitiis et scommatibus detrahere pulcrum dicit. Praefationis limites transcendit, si ea omnia conquerire vellem, quae hunc in finem a Viro Cl. citat. loco dicta sunt, quapropter infesta nomina silentio praetereo, quae Cl. PANCRAT. WOLF-FIO imponit, dum modo lupum rapacem rabidumque eum vocat, modo iudicium veruecinum ipsi tribuit, aliaque. Illud tamen non possum non commemorare, qnt quantisque maledictis Virum laude mea superiorem Cel. HEISTERVM oneret, et insectetur, nominando ipsum, monstrum batuum, einen neu riechenden Professor, über dessen Capacitē Realitäten und höhere Sachen seyn, welcher vielleicht schwerlich viele Patienten gesehen, oder in Altorff noch wolle sein

hen mag, sondern an einige Cada-
uera sich bassardiret, und das Stu-
dium Anatomicum ieun tractiret
hat; dessen Disputat. de Mastica-
tione Kern und Krafft mangelt,
darinn so viel Saalbaders vorkom-
men, welche auch der einfältigste
Mensch würde besser zu beschreiben
wissen, als es mit hochriühmenden
Geist und angemahster Eloquentz
der Herr Autor bekannt gemacht;
einen hominem bombylum; et quae
sunt futilium in contumeliarium
aliae, quas denuo repetere taedet
atque piget, cum praeterea Vir Ce-
leb. mea defensione non indigeat;
quippe qui eruditissimis suis scri-
ptis iam satis demonstrauit, petu-
lanti et impotenti animo merae-
que insultandi libidini haec de-
beri. Illud tamen haud aegre inde
colliebam, crabrones irritare, remi-
que periculi plenam adgredi, qui-
cunque

P R A E F A T I O.

cunque Viro huic Cl. contradicere
fusineret. Diu proinde fateor me-
cum peregi, ancepsque haesi,
vtrum in proposito persisterem
nec nec, cum euitare me non posse
perspicerem, quo minus Virum Cl.
faepius nominarem ipsiusque scri-
pta excitarem. Sed inter Sacrum
ita et saxum, quod aiunt, constitu-
to, forte in manus incidit, Tomus
alter Iurisprudentiae Medicae,
haud ita pridem a Viro Cl. diuulga-
tus, cuius praefamine haec ab ipso
scripta legebam verba: Vor mei-
nen Theil abhorrire ich alle Zanck-
und Streit-Schrifften, desto mehr
wenn sie auf Schmähungen und
Beleidigungen des Nächsten ge-
hen, und in einen eitlen Gezäncke
bestehen: Quac protestatio licet
factis contrarietur, cum illis tamen
posterior sit, animum tandem mi-
mi reddidit, atquesic confirmauit,
vt

P R A E F A T I O.

vt proposito inhaererem, et praesenti commentatione perficiendum sumerem. Quousque veritatem assequutus sum, tuum erit Ben. Lector arbitrari. Omnem saltem operam dedi, vt nihil facile a me praetermitteretur, quod ad defensionem causae in scriptis horum Virorum inuenire potui, nihilque, quod operaे pretium esset, intactum relinqueretur; Si ab uno discessero Viro quodam Celeberrimo, qui noua ratione sententiam illam, quod anima corporis sui sit principium struens, propugnare contendit. Ea quidem omnia, quae contra illius argumenta monenda videbantur, iam in chartam conieceram, sed quo minus illa subiungerem, tum aliae rationes me mouerunt, tum haec maxime, quod, Virum Cel. a Cl.
GOETZIO Catalogo Scriptorum

P R A E F A T I O.

rum Cel. STAHLII aliorumque ad eius mentem differentium, ab ipso concinnato, et anno 1729. denuo edito, ne quidem nominatum atque inter Stahlianos relaturn esse, multo minus ipsius scripta ibidem enarrata esse, vidi. Vnde nec ego illum his accensere volui, cum ipse Cl. GOETZIVS numero suo adscribere eum noluerit, licet alias neminem, qui Stahlianae causa faueat, facile omiserit, imo ne quidem Carnificem Balingensem. Vnum adhuc addendum et Ben. Lector rogandus est, ne aegre ferat, me Cel. STAHLII *Theoriam* ex Cl. BARCKHUVYSEN *Historia Medicinae* aliquoties allegasse, siquidem id non aliam ob causam feci, quam quod locum Cel. STAHLII, a Cl. BARCKHUVYSEN in notis adductum, in *Theoria Cel. STAHLII*.

P R A E F A T I O.

STAHLII inuenire non potuerim. Non aliunde id prouenisse suspicor, quam quoniam tractatus Theoriae iuxta meam editionem praemissi, nouis et peculiaribus numeris seorsim sint signati. In altera autem editione, quam olim etiam vidi, et qua sine dubio etiam usus est. Cl. BARCKH VYSEN, numeri Tractatum in vna serie progrediantur et cum Theoria coniungantur. Itaque cum allegata Cl. BARCKH VYSEN cum mea editione conciliare non potuerim, altera autem hac vice in promtu mihi non fuerit, bona fide e Cl. BARCKH VYSEN mentem Cel. STAHLII recitaui, quod

vt

P R A E F A T I O.

vt Ben. Lector et quotquot praeterea hoc scriptum legerint, aequi bonique consulant, etiam atque etiam oro, quaesoque. ui Vale Ben. Lector et meis conatibus faue. Scrib. Rostochii, An. Christ. CIC XXXCC CI CIC

etiam ibi, et das ille quipio et
ius uite est. CI BARCK.
HAYSEN uniuersitatis Ttingenianum
in aula juxta progredivimus et cum
Trocis communione, iudee
cum aliis CI BARCK.
HAYSEN cum uicis editione
collegisse non poterimus, stricte
sumus psc vice in primis tunc
non tunc, ponit qd e CI
BARCK HAYSEN mentitur
CATHERINI recensit dno
CAPVT



CAPVT PRIMVM
DE
ANIMAE RATIONALIS
CORPVIS STRVENDI
POTENTIA.

§. I.

Si quid est in Theoria sani corporis, quod infinitis adhuc premitur difficultibus, et si quod in corpore nostro opus deprehenditur, multis adhuc laborans defectibus, multis. que pariter controuersiis obnoxium; eiusmodi sane merito existimandum est universum generationis humanae negotium. Siue enim ad prima ipsius respiciatur initia, conceptionem puta; siue ipsa foetus attendatur formatio atque nutritio; siue eiusdem consideretur ex utero egressus; siue denique ad alias circumstantias dirigatur animus; ubiuis obseruare licet, idem innumeris difficultibus esse obruitum, dubiisque fere infinitis involutum. Quod si harum difficultatum indagamus

A

origi-

2 HYPOTHESES. STAHL. EXAMEN.

originem, causamque omnium controuer-
siarum, uti par est, scrutamur; eam sane
verissimam esse deprehendimus, quam
Cel. HEVCHERVS jam satis accu-
rate, pro insigni sua in Anatomia peritia,
suppeditauit, quamque his verbis expre-
sit: *Caute admodum sapienterque scripsit Schel-
hammerus, magnum naturae arcanum, gene-
rationem puta hominis, iam fere totum esse de-
tectum. Latent enim quaedam adhuc, imo
dixerim, nisi aegre tulerit Schelhammerus, la-
tere multa. vid. eiusd. Muliebria Thes. LXVI.*
Haec enim ratio veritati tam exakte con-
sona existit, totumque negotium adeo ple-
ne complectitur, ut nonsolum illi in uni-
uersum omnes eandem cum Viro hoc do-
ctissimo foueant sententiam, qui in euolu-
endo generationis negotio omnem mo-
uerunt lapidem, sedula tamen sua conten-
tione atque studio indefesso rem in apri-
cum deducere nondum potuerunt, sed et
res ipsa illud comprobet, omnesque illi de-
monstrant defectus, qui adhuc hodie in
tanta Anatomiae luce, circa idem non exi-
guo notantur atque obseruantur numero.
Quamquam autem eiusmodi difficultat-
um indeque resultantium contentionum
seges haud tenuis curatius inuestigantibus

se

se offerat, harumque quaelibet iustum omnino mereatur attentionem; inter il- las tamen non ultimum sibi vindicare vi- detur locum, quae ad *Principii* sic dicti for- manis conditionem, et quicquid circa eius- dem cognitionem necessarium est, spe- ctat. Huius enim constitutio adeo spis- sis tenebris inuoluta; ut nil quicquam de ea affirmari aut negari liquido certoque possit. Cum enim hoc principium neu- triquam in sensus cadat, aut digitis mon- strari nequeat, sed tantum ex quibusdam circumstantiis hariolando colligendum sit; ideo longe etiam maioribus dubiis subiacet, multoque frequentiores gignit controuersias, quam reliquae ferme omnes circumstantiae, quae adhuc eruen- dae atque explorandae sunt. Quilibet enim pro ingenii sui modulo aut hypothe- si praeconceptarum conditione ex ob- seruatis quibusdam principium aliquod sibi format, prouti naturae rei atque phoe- nomenis explicandis conuenientissimum esse autumat, aut sibi saltem certo persua- det. Ista autem cum rem non confiant, nec ad principium certum definiendum sufficiant, quot inde lites et disceptatio- nes existere fierique, quis non videt?

§. II.

Quando autem specialius ipsorum, qui de Principio formante aliquid literis consignarunt, perpendo placita, quasque de eodem fouent sententias in summam colligo atque comparo, ad duas potissimum easdem redigendas esse classes deprehendo, quarum altera materiale, altera autem immateriale admittit atque defendit Principium. Materiale principium propugnare non dubitauit omnis fere Antiquitas. Haec enim sicuti materiae in humano corpore non exiguum adscribit vim, ita eandem aptam etiam credit, ut (loquor cum SENNERTO *Libr. de Consens. et Diff. Chemicor. cum Aristotel. et Galen. p. m. 183.*) corpus fabricare possit, ipsumque omni perfectionum genere instruere, ipsi magnitudinem, figuram, omnes qualitates, numeros, ordinem, situm, omnemque apparatus et pulchritudinem tribuere. Hanc porro virtutem a DEo ipsi impressam esse, tuetur, cum propria virtute omnia peragere atque absoluere nequeat. Quae sententia sua se specie adeo commendauit; ut a priscis ad nostra tempora transmissa a plurimis sit defensa, atque hodiendum a multis defendatur, proti scripta modernorum recens edita te-
stantur

stantur atque confirmant, vid. BOHNIVS *Circ. Anat. Physiol.* p. 17. CL. LISCHWITZIVS *Diss. de Oritu et Propagat. homin.* Lips. 1723. habita §. 13. alii que. Quamquam autem hi tantum non omnes in eo amice conueniant, quod non aliud quam materiale principium foetum producat; nondum tamen sibimet ipsis prorsus constant, quodnam sit illud principium, et quaenam materia isto nomine digna censenda. Quidam enim animam vegetantem huic praeficiunt negotio, vid. SENNERTVS c. l. p. 221. Alii specialem huius animae facultatem, quam πλεσικὴ δύναμιν vocant, allegant, vid. MAGIRI *Physiol. Peripat.* p. 466. Alii peculiares spiritus, quibus hoc officium committant, in subsidium vocant, vid. FERNELII *Physiol. Lib. VII.* p. m. 231. quos multi genitales appellare vel auram genitalem vocare non dubitant. Alii denique ad Archaeum quendam configuiunt, uti HELMONTIVS *Ort. Med.* p. m. 40, ut igitur discordes de principio hoc materiali sint eorum mentes.

§. III.

Licet autem haec de Principio formante sententia, ut antea monui, antiquissima

5 HYPOTHESES STAHL EXAMEN

atque communissima semper fuerit; noi
omnibus tamen ita se probauit, quin iam
olim extiterint, qui dubitare de ea coepe-
rint. Haud obscure id colligitur ex iis,
quae SENNERTVS c.l. p.185. affert
quando ex hoc capite contra LIBA-
VIVM sequenti ratione disputat: E-
quod Libauio mirum imo ridiculum videtur,
quomodo formae corporis fabricatrices scire
possint, in qua parte debeat collocari auris, in
qua manus, pes, nasus, et reliqua; quantum
caput fieri debeat, quantum reliquum corpus,
quibus mensuris geometricis, ulnis, pedibus, et
palmis utatur, ut tantus fiat nasus, tantum os,
quomodo idem faber nasum, aures, caput fabri-
care possit, id mihi nec mirum nec ridiculum vi-
detur. Nec ambigo plures inter maiores
nostros in eandem cum LIBAVIO sen-
tentiam ingressos esse. Quoniam vero
aliam eamque meliorem causam afferre,
aut expeditiori via negotium formationis
explicare non valuerint, sine dubio effecit,
ut inueteratum errorem retinere, quam
deserere satius duxerint, quo haberent for-
te, quae imperitis persuadere possent.

§. I. IV.

Nostro autem tempore surrexit Vir de
Arte Medica insigniter meritus Cel.
STAHL

STAHLIVS, altiusque fixis cogitationibus, non solum materiale principium reiecit, sed in ipsius quoque locum immateriale substituit, animam nimurum rationalem. Signarunt eius vestigia alii haud pauci Clarissimi Viri ut ALBERTI, COSCHWITZIVS, NENTERVS, aliquique nemini ignoti. Arbitratur autem Vir Cl. impotentes plane existere omnes sic dictos spiritus, vim plasticam, animam vegetatiuam, et huius generis principia, quandoquidem vniuersum hoc negotium vires eorum excedat, et hac ratione omnibus hisce principiis nimium tribuatur. Contra vero animam nostram rationalem aptissimam credit vniuerso huic negotio excipiendo. Hanc enim non solum esse illam cuius usibus, finibus imo adeo necessitatibus simpliciter efformandum atque construendum sit corpus, sed illam etiam intellectu esse praeditam, ut sapienter formationem administrare possit; Eandem corpus saepe saepius deformare atque reformare per phantasticas imaginationis ideas et intentiones: Vniuersam praeterea formationem absolutu exquisite proportionato, ordinato, regulari; Nec minus frequenter in hoc ne-

§. HYPOTHESES. STAHL. EXAMEN

gotio obseruari assimilationes, variaque alia obuenire, quae omnia luculenter innuant atque testentur, solam animam rationalem genuinum principium formans ducendam et dicendam esse, nec praeter eam aliud quoddam admitti posse. vid. Cel. STAHLII Physiol. Sect. IV. de Generat. et alibi.

§. V.

Ex haec tenus dictis intelligitur quasnam praecipue de formante Principio tacentur opinones, qui illud in foetu admittunt. Quas autem si iuste pensito, ingenue fateor, non adeo veras certasque easdem mihi videri, ut illis commode assensum praebere queam. Nolo equidem multis vrgere, non plane superuacaneum fuisse, si fautores horum principiorum inquietis prius rationibus effecissent, eiusmodi principium ad formationem foetus necessario requiri, quippe quod, quantum ex scriptis doctorum Virorum cognoscitur, nunquam fere in mentem venisse ipsis videtur, cum tamen non leves forte difficultates remouere deberent, antequam extra dubitationem id collocare possent. Quandoquidem autem ex sequenti tractatione plenius sine dubio constabit, quoad ipsius prae-

praesentia ad formationem opus sit, hinc
 prolixius illud excutere, hoc loco praeter-
 mitto. Mihi iam sufficiet, si demonstra-
 tum dedero, principia memorata minus
 apta esse, a quibus foetus struatur atque ef-
 formetur. Quod igitur ad sententiam il-
 lorum, qui principium aliquod materiale
 sibi fingunt, attinet, meum equidem non
 fert institutum, ut prolixum illius instituam
 examen, quandoquidem eum in finem
 praesens tractatio non est suscepta. In-
 terea tamen facere non possum, quin hanc
 sententiam inter commenta referam, at-
 que cum Cel. STAHLIO affirmem,
 huius opinionis Patronos materiae hac ra-
 tione revera nimium tribuisse, quando-
 quidem materiae repugnat, quod sit intel-
 ligens tantaque instructa sapientia, ut tam
 praeclarum tamque arduum opus et in-
 choare et absoluere possit, quam subtilis
 et quam actiua etiam fingatur. Neque
 est quod ad DEum configuant, atque cum
 SENNER T O c. l. p. 185. affirment:
 quod non vi sua formae tam mira praestent, sed
 sint instrumentum et manus quasi sapientissimi
 Opificis et Creatoris DEi, qui ipsis hanc vim et
 efficaciam tribuit; Quamdiu enim hoc ido-
 neis argumentis non evincitur, frustra sup-

A 5 ponitur,

ponitur, et pro Asylo ignorantiae merito
habetur.

§ VI.

Vtut vero cum Cel. STAHLIO communem contra Materialistas causam agere, huc vsque non dubitauerim, impetrare tamen a me nequeo, vt nouae ipsius sententiae, qua anima rationalis pro formante principio venditatur, subscribam. Illa eterum multis non solum dubiis atque difficultatibus exposita est, sed et omni repugnat experientiae, imo animae plura tribuit, quam ab ipsa exspectari possunt, atque peracta vñquam esse probari potest. Et licet argumentis quibusdam, quae speciem quandam veritatis prae se ferre videntur, sit suffulta, si tamen curatius perlustrantur, minime ita comparata comprehenduntur, vt iisdem ipsius sententia ad apricum ducatur. Taceo desperatae causae indicium esse, quod liquida ex illiquidis deruentur, nouaque opinio per eiusmodi explicetur Phœnomena, quae in se nondum plana sunt, atque evidentia. Ne autem gratis haec aseruisse, fautoribusque huius sententiae aliquid affinxisse videar, quod ipsis fortean ne quidem in mentem venit, plenius hanc hypothesisin exa-

examinare constitui, adductis tam saepe laudati Viri Cel. quam qui eum sequuntur, propriis verbis, manifesto demonstratus, nimium fuisse Virum Cl. una cum Aſſeclis suis in extollendis animae humanae viribus, multaque veritati inimica proponuisse atque admisisse.

§. VII.

Quo autem hoc institutum iusto progressiatur ordine, a primo formationis initio, Conceptione nimirum exordium ducam. Ideo vero hunc aetum seorsim considerare decreui, quoniam iste, licet cum reliquo formationis negotio cohaereat, non solum varias speciales admittit circumstantias, quibus a reliqua formatione multum se distinguit, sed omnino etiam certae cuidam causae adscribendus est, quae eundem absoluit. Et cum non omnibus eadem de hac causa, quam secundantem vocant, sedeat mens, operae me pretium facturum arbitratus sum, si inquirerem an vera sit, quam Cel. STAHLIVS et ipsius sectatores allegant, causa. Quando itaque hoc consilio scripta Cel. STAHLII, et reliquorum qui hypothesibus doctissimi huius Viri delestantur, euolui, illos in uniuersum omnes in hac versari opinionem

nione deprehendo, animam rationalem foetus, sub conceptione ad ouulum transcurrentem causam etiam conceptionis atque fecundationis dicendam esse. Non adeo perspicua equidem sunt, quae hac de re tradit Cel. STAHЛИS *Phyiol. Sect. IV.* de *Generat.* neque adeo distinctis verbis ab ipso haec sententia ibidem est prolata, ut primo statim intuitu ipsius mens intelligi queat. Quodsi tamen sedule expendo, quae dicto loco sunt proposita, eum in hac opinione versari animadverto. Ut enim taceam in indice physiologico diserte haec legi verba: *Anima generationem corporis suscitat et absolvit, et iisdem ad modo dictam sectionem et quidem speciatim ad pag. 249. respici; non obscure etiam innuunt sectione hac pag. 247. allata, quando 1) quod etiam iam Sect. I. Membro VII. Artic. VI. factum, asseritur, quod non aequa satis dilucescat, quid formaliter sit sperma, et quid directe et immediate etiam vel faciat, vel fiat.* Et praeterea 2) semini spirituascentia illa et actiuitas, quam vim plasticam vocant, denegatur, quam alii eidem tribuunt, et sine qua illud iners et inutile creditur. Ex quibus rite aestimatis debite que inter se collatis, non immerito infertur,

Vi-

Virum Cel. omnino in hac versari opinione, non aliud fœcundans existere principium, praeter animam rationalem.

§. VIII.

Multo eidientiora sunt quae de anima rationali tanquam fœcundante principio a Dno ALBERTI atque NENTERO proponuntur. Ille enim postquam ante prolixo multisque argumentis demonstrare adgressus est, animam humanam principium esse struens, tandem expressis verbis *Physiol. sua Cap. II. de Generat. Thes. LXXIII.* pronuntiat, eandem ouulum etiam fœcundare. *Quando, inquit, hoc principium formans a patre communicatum fuit, proxime succedit conceptio, dum ex ouulo generatio incipit: fœcundat itaque et amplectitur hoc principium formans ouulum, in quo non aequa exquisita maturitas abesse debet, qualis vulgo vel fingitur vel supponitur.* Hic autem NENTERVS, proposita quaestione *Physiol. Med. Cap. XI. Membr. I. §. IX.* quidnam sit in semine, quod primum motum rudimentis in ouulo contentis imprimit, et conceptionem inchoat, reicit primum omnes spiritus insitos, influos, vitales, animales, archaeos, vim plasticam, et haec principia agentia fictitia grauissimis premi dif-

difficultatibus adserit. Deinde autem mox c. I. §. X. subiungit, animam humanam primi motus in ouulo atque conceptionis causam habendam esse.

§. IX.

De B. Cosehuvitzio quid dicam anceps haereo, cum ipse haesitare videatur. Nam *Physiol. s. sic dicti Organismi et Mechanismi Corp. Sani. Sect. I. Cap. VII. Thes. XXVII.* conceptis verbis adfirmat, conceptionem fieri accessu spermatis virilis ad ouulum: Ouulum ait quod fœcundari debet, necesse habet, ut cum spermate virili in uno quodam loco conueniat. Quae verba in subiuncto Scholio ita explicat: *Hic spermatis virilis cum muliebri concursus adeo necessarius existit, ut eo deficiente, nequaquam fœcundus a congressu conceptus sperari possit, quoniam subtilissima ipsius substantia, quam auram seminalem vocamus, porulos pelliculae ouuli, materiam seminalem inuoluentis, penetrare, motumque peculiarem in ouulo concitare debet.* Atque sic euidenter suam, quam fouet de principio fœcundante, declarat mentem, nimirum quod hoc principium in subtilissima seminis substantia, quam auram seminalem vocat, sit constituendum, eademque causa efficiens fœcundationis censenda, quae vnicē

vnice effectum huncce producat. Sed
 sui veluti oblitus, hanc aurae seminali ad-
 scriptam vim, thesibus mox sequentibus
 animae rationali adsignat, sic enim *Theſ.*
XXXV. inquit: *Formatio fœtus in utero sup-*
ponit materiam e qua fœtus formari possit, et
principium aliquid agens ac mouens, (quod
Tbes. XXXVIII. perspicuis verbis vocat
animam rationalem) quod motum debitum
in materia producat, ipſique vitam largiatur
formamque, et efficienter formationem pree-
ſtet. Et annexo Scholio idem repetit,
quandoſcribit: Materia a matre ſuppedita-
ta, in ſe conſiderata, mortua quaſi eſt, ſi non
aliud quid accederet, quod motum in illa excita-
ret, eamque quaſi vivificaret. Planius ad-
huc ſequentis theſis Scholio ſuam exponit
mentem, poſtquam theſi praemissa adſeruit,
quod hoc principium actiuum anima
nimirum cum ſpermate virili accedat. Pa-
tet enim, ait, hoc maximopere exinde, quod nul-
la unquam ſine huius accessu contingat ouuli fe-
cundatio, fœtusque generatio. Quodſi ita-
que haec omnia hactenus allata inter ſe in-
uicem conſerantur, aliter ſane iudicari ne-
quit, quam Virum doctissimum vel ſibi
non conſtare, atque in determinando vero
fœcundationis principio fluctuare, vel po-
ſterio-

steriorem sententiam tantum proposuisse, ut Cel. S T A H L I O se gratum reddat, ipsiusque sibi Conciliet fauorem. Excipi equidem posse videtur, quod prior sententia, quam de aura seminali affert, de conceptione sit accipienda, posterior autem, de anima rationali, de formatione sit intelligenda, cum prioris eo loco vbi de conceptione agit, posterioris autem vbi formationem tradit, mentionem iniiciat, atque sic utraque rite sese habeat, et sine contradictione ab ipso admittatur, quod etiam ex Thesi XXXVII. quodammodo confirmari posset, qua asserit, quod dubium maximum restet, an illa formationis causa efficiens quaerenda sit in sola materia spermatica eiusque constitutione physica materiali: an vero pro absolvendo toto generationis foetus negotio, et struendo tam artificiose corpore aliud quoddam principium magis actuum requiratur: Cui dubio etiam Scholio huius thesis obuiam iturus respondet, quod concipere non valeat, humorem illum lymphaticum atque subtilem in testibus secretum atque elaboratum absolute sufficere, ac abstrusum hocce negotium perficere posse. Verum enim vero supra adducta verba clare satis demonstrant, posteriorem sententiam iti-

itidem de conceptione ex parte esse intellegendam, dum animae tribuit, quod motum debitum in materia producat, eique vitam largiatur; quod motum in illa excitet, eamque vivificet; quod sine illa (tanquam causa sine qua non) nulla contingat ouuli fœcundatio; quas locutiones in vniuersum omnes nemo vñquam ad aliud quid quam conceptionem sine coactione referre et de ea explicare poterit. Cum itaque ex dictis Cl. Autoris mens satis manifeste appareat, et quod fœcundandi vim animae adscribat negari nequeat, non satis mirari possum ipsum, hoc non obstante, denuo *Scholio thesis XXXIX.* spermati virili hancce efficaciam adsignare, dum ibidem scribit: *quod sine accessu spermatis virilis nullum ouulum vivificari possit;* cum eo denuo sibi ipsi contradicat.

§. X.

Atque sic satis superque exposui ex ipsis Autorum scriptis sententiam quam fouent de principio fœcundante, perspicuumque hac ratione esse opinor, illos hoc nomine nil nisi animam rationalem innuere, vel faltem innuere velle. Dispiciendum itaque nunc foret, quibus rationibus noua haec hypothesis sit superstructa, quibusque ni-

B

tatur

tatur fundamentis. Ast doleo quam maxime, mihi omni licet adhibita cura tam felici esse non licuisse, vt argumentum aliquod ex ipsorum scriptis eruere potuerim, quod speciatim hoc applicari posset, et quo certus redderer, animam fœcundans principium iure habendam esse atque dicendam. Quae enim a Cel. STAHLIO atque NENTERO citatis locis adducuntur, pro euincenda potius animae humanae potentia corpus struendi pugnans, quam fœcundans eandem principium esse ostendunt. Commouit autem fortean ipsos, vt nulla ad assertum hocce firmandum speciatim in medium produixerint argumenta, quoniam conceptio cum formatione arcte atque necessario coniuncta est. Rati igitur sunt, si probarent animam struere corpus, superuacaneum fore, praeterea operose demonstrare, eam etiam fœcundare. Quodsi anima enim omnes sequentes motus in ouulo peragit, dubitari non posse, quin etiam primum instituat motum, qui conceptionem absolutit. Alioquin enim obici posse, causam, quae primum ouulo impressit motum, vel eundem etiam continuare posse, vel materiam in ouulo contentam ad eiusmodi

modi motum impellere, ut deinde semel excitata, eundem propria virtute continuare valeret; atque sic velut oblique indicari atque prodi, animae facultatem struendi corpus nonsolum dubiam sed et plane non necessariam esse.

§. XI.

Ast quanquam haec et similia ipsos quodammodo excusare videantur, minime tamen sufficientia sunt, ut iisdem prorsus a defecetu omni absolui possint. Nam licet hi duo actus indissolubili quasi vinculo inter se cohaereant, nihilo tamen minus plenarie a se inuicem sunt distincti, ita ut vno desinente alter incipiat. Probe id annotauit B. COSCHWITZIVS, qui ideo Physiol. Sect. I. Cap. VII. Thes. XXV. easdem sollicite distinxit, atque seorsim considerauit. Quapropter ex animae rationalis facultate struendi nondum firmum aliquod depromi potest argumentum, quo efficiatur, eam fecundationis etiam principium existere. Vnde necessarium omnino fuisse videtur, ut hanc quoque assertiōnē sufficientibus confirmassent rationibus. Verbis enim nudis nullo argumentorum robore munitis ut fidem habeant alii, nullo iure vel postulare vel

B 2 impe-

impetrare poterunt. Idque eo magis datum sibi esse arbitrari debuissent, quo pluribus difficultatibus hypothesis ista premitur, et quo facilius dissentientes reperiuntur. Mihi saltem una plures suppetunt rationes, quibus inducor, ut credam, sententiam istam et rationi et experientiae refragari, suoque merito comprobandam esse.

§. XII..

Initio quidam planum est atque manifestum, quod, si anima rationalis illud esset principium, quod motum in ouulo excitare atque fecundationem efficere valet, semini virili in impraegnatione nullum vel exiguum adscribendum fore vsum, imo id cum liquore, quem genitales mulierum sub congressu praesertim secundo fundunt, eodem prorsus loco numeroque habendum. Dudum tamen ab omnibus Physiologis, non vana opinione ductis, sed experientia solida constante innixis, traditum atque demonstratum est, sperma virile id ipsum esse, quod ouulum fecundat, et actuum illud, quod huic inest, (sive animam plasticam sive auram seminalem id nomines, perinde mihi erit) virtute ouulo motum imprimendi instrutum

Etum esse. Demere equidem hanc actiuitatem virili semini satagit Cel. STAH-LIVS, eo quod adfirmet, prouti supra §. VI. iam memoraui, quod non aequa satis dilucescat, quid formaliter sit sperma et quid directe et immediate faciat vel fiat. At mera verba sunt, quae neque experientiae neque rationi congruunt, eumque tantum in finem afferuntur, ut eo facilius atque melius saluari hypothesis vana, et negatis veritatibus manifestis comprobari queat. Alii enim meliora edocti longe aliter de spermate sentiunt, cum nonsolum per ocularem inspectionem satis ipsis patescat, quid sit sperma, sed ex effectibus etiam liquido intelligatur, quid directe et immediate faciat, et quantum ipsi in conceptione tribuendum. Pollere scilicet illud tanta vi et actiuitate, ut motum in ouulo excitare possit, si quid aliud, certe luculentiter ostendit insignis corporis debilitas eiusdem ejaculationem excipiens, quae nullo modo a tam exigua huius liquoris quantitate prouenire posset, nisi maxima praeditus is esset actiuitate. Idem autem motum ouulo imprimere posse, nemo forte in dubium vocabit, nisi qui omnem penetrandi vim liquoribus spirituosis denega-

B 3 uerit,

uerit, qui tamen quoad actiuitatem eodem
longe sunt inferiores. Deinde etiam im-
praegnatio tot ouulorum a Gallo gallina-
ceo vel papilione uno congressu facta, non
obscuro est indicio, illam actiui illius, quod
in semine est, virtuti adscribendam esse. A
brutis enim sub congressu fœcundo ani-
mam rationalem propagari solida adhuc
indiget demonstratione, et tot animas una
seminis eiaculatione ad tot, quot simul im-
praegnantur, ouula transmitti, fidem fere
omnem superat, neque vnuquam probari
poterit.

§. XIII.

Ulterius egregie confirmat animam
neutiquam esse fœundans principium,
quod ad conceptionem absoluendam ne-
cessario semper requiratur sperma legiti-
me dispositum. Quae autem tanta huius
necessitas foret, si ab anima rationali uni-
uersum penderet negotium? nonne vo-
lente marito atque vxore sine eiusmodi
spermate conceptio euenire posset? Ut-
que id adserendum foret, si ex hypothesi
reddenda esset responsio. Sed experien-
tia refragatur, quippe quae testatur, praes-
entiam spermatis rite constituti maxime
esse necessariam, atque sine illo nunquam

acci-

accidere conceptionem. Quam apertissime id exinde discimus, quod Viri, qui admodum phlegmaticae sunt constitutionis, aut nimio veneris exercitio vires suas destruxerunt, ad sobolis procreationem, tametsi eam satis anxie saepe optent et desiderant, maxime inhabiles atque inepti deprehendantur, non alia autem impediti causa, quam quod nimium seroflo, minusque actiuo gaudeant spermate. Quodnam autem hinc obstaculum animae ponit posset, quo minus conceptionis negotium susciperet, si ipsi soli fœcundandi officium competeret? Eandem enim vel nimia seminis aquositate a transitu ad ouulum arceri aut deterreri, vel ob defectum virium corporis nimio veneris exercitio consumtarum a proposito reuocari, vel vna cum corpore infirmo debilitatam esse, credat quicunque voluerit. Ipse quam persuassim sum, animam suo nihilo tamen minus officio esse functuram, quodsi ipsa vnicce illud moderaretur, quacunque etiam ratione sperma caeteroquin sit constitutum.

§. XIV.

Praeter haec tenus allata animae humanae fœcundandi impotentia eo quoque

B 4

evin-

evincitur, quod sterilitas quandoque medicamentis atque diaeta congrua emendari atque corrigi possit. Omni namque die animaduertimus, subsidiis hisce sperma minus actuum aptum reddi ad fecundandum, virisque inhabilibus restitui capacitatem. Quomodo autem materialibus istiusmodi adminiculis hoc impetrari posset? et quid ad fecundationem emendatio seminis conferret? si anima vniuersi huius negotii causa esset atque effectrix. Hanc enim medicamentis atque diaeta ita praeparari posse, ut ad exitum sit promta, nemo spero adserere sustinebit. Sed cum medicamenta non nisi in corpus agere queant, hac ratione autem fecundandi facultas restitui possit, haud temere inde inferendum esse iudico, animam id non esse, quod ouulo primum motum imprimit, sed alii cuidam causae, semini nimirum virili effectum hunc imputandum esse. Excipi equidem contra argumenta hac et praecedenti §o. recensita posset, facile concedi, ad fecundationem sperma legitime dispositum necessarium esse, illudque, sicubi minus recte se habet, emendatione indigere, propterea vero animae ius fecundandi nondum abiudicari posse, cum semen eiusmodi

modi rite constitutum ad conceptionem ideo requiratur, quoniam sine eo anima nequit ad ouulum transire, siquidem id verum propriumque ipsius sit vehiculum. Verum enim vero quam speciosa haec videatur obiectio, petitione tamen principii manifeste laborat. Probandum enim prius foret, quod anima necessario eiusmodi semine ut vehiculo indigeat, et quod illa etiam cum alio semine ad ouulum transire nequeat, cum nullam videamus causam, ob quam anima mediante semine crassò aut tenui minusque actiùo non aequa facile quam spirituoso possit traduci, si semen vehiculi tantum vices sustineret. Sed quodsi vel maxime largiar animae transitum ad ouulum semen rite constitutum, quale ordinario sub congressu fœcundo eiaculatur, sibi deposcere, yndenam demonstrare volunt ab ipsa non autem a semine bene præparato, quod insimul in vterum immittitur, profici sci fœcundationem, arduum sane ipsis erit effectum huncce animae vindicare, cum nullum indicium, quo ipsi is adscribi possit, sit in promtu: pro spermate autem varia militent argumenta, quorum potissima iam adduxi.

§. XV.

Praeterea hypothesi isti, secundans principium animam esse, repugnat, quod, admissa illa, omnino concedendum sit, animas infructuoso sub congressu ad uterum frustra transmitti, eoque ipso perdi. Enimvero nulla negari ratione potest, quod optimo etiam semine praesente, et intensissimo desiderio tam mariti quam uxoris supposito, nihilo tamen minus nulla saepe sequatur conceptio, quando in partibus mulierum genitalibus, vitium aliquod haeret, ita ut e. g. vel ouula nulla vera adfint, vel etiam hydrope laborent testes mulierum vel aliae partes vitio quodam sint correptae. Vbinam tunc locorum animae subsidunt, et quem in finem istae sunt propagatae? dum unio cum corpore, ad quam destinatae tamen sunt, et propter quam in muliebrearum transferuntur, ipsis denegata est. Nec liberatur haec sententia ab ista difficultate, si forte interseratur, animam rationalem ad ouulum non transire, nisi conceptio actu sit secunda. Nam anima quae traducitur, nisi omniscia fingatur, defectus in corpore matris latentes, ante suum ad id accessum, perspectos nullo modo habere potest. Sed

cum

cum ipsa tamen conceptionem peragere
debeat, ad ouarium, vtcunque res cecide-
rint, transfire omnino debet, suaque forte
contenta, ancipi se euentui committere,
quacunque ratione a matre excipiatur.

§. XVI.

Denique sententiam istam, quod ani-
mae fecundandi competit officium, euer-
tit, quod conceptio causis quibusdam in-
tercipi possit naturalibus, quae ita tamen
comparatae sunt, vt, si animae hoc nego-
tium tribuendum foret, omnino ei obita-
culo esse non possent. Ita enim certissi-
mum est, fœminas nimia obœsitate labo-
rantes plerumque steriles esse, tametsi Vi-
ro sano et ad generandum satis habili iun-
ctæ sint. Quodsi anima autem conce-
ptionis causa esset, quomodo ipsi nimia pin-
guedo foret impedimento, eique vt spiri-
tui a materia transitus ad ouulum posset
praecludi? Pariter annotauit Cel. R V Y.
S C H I V S *Obs. Anat-Chirurg. LXXXIII,*
quod, quando tubae Fallopianae plane oc-
clusae, nulla eueniat conceptio, sterilesque
euadant mulieres. Quodnam autem haec
tubarum mala conformatio animae obsta-
culum obiicere potest, quo ab ingressu
ouuli prohibetur? Anima enim procul
du-

dubio certis viis alligata non est, per quas necessario ad ouulum transire debet. Quomodo denique feminis fœcundi ob nimiam vteri laxitatem subitaneus effluxus conceptionem sufflaminare valet, si anima hoc negotium tanquam causa efficiens moderatur? Eam enim rursus exturbari, aut eiici posse, credi nunquam potest. Igitur ex omnibus his rationibus allatis manifesto satis apparet, rationali animae citra omnem rationem atque experientiam munus fœcundandi tribui et demandari.

§. XVII.

Postquam igitur sat arduis uti credo argumentis demonstratum dedi, animae nullam plane fœcundandi virtutem inesse, ipsique eam immerito adscribi, vterius mihi datum esse reor, ut inquiram, vtrum formationis actus iure ei adscribatur. Affirmant hoc cum Cel. STAHLIVS tum quotquot ad mentem ipsius se composuerunt, hypothesesque huius viri Celeb. adoptarunt. Ipse Cel. STAHLIVS *Physiol. Sect. IV. de Generat. p. 249.* postquam varia iis opposuerat argumenta, qui arbitrantur, spiritus genitales virtute ista instructos esse, ut corpus humanum formare queant, tandem concludit, quod ani-

anima humana ipsa haec administrare pos-
 sit, imo haec agere debeat; quid? quod
 non solum potentiam hanc possident, sed
 verum actum et exercitium. Defendit
 idem etiam Dn. ALBERTI. *Physiol.*
Cap. II. thes. 26. 28. quando inquit: *Dum*
vero has opiniones remoueo, ita pono et afferro,
quod principium formans debeat esse rationale.
Tale principium in homine non aliud deprehen-
ditur, nisi anima rationalis, cui itaque rotun-
da quadam adsertione adscribimus capacita-
tem struendi et formandi corpus ii, quo haeret
et operatur. Nec minus consentit COSCH-
WITZIVS in Mech. et Org. Corp. Sani.
Sect. I. Cap. VII. Thes. XXXVIII. p. 179.
 his verbis suam declarans mentem:
Quapropter sine plurimum eiusmodi principio-
rum fictionum et alienorum selectu potius sta-
tuendum esse credimus, idem principium agens
et mouens formationi foetus praeesse non modo
posse sed debere, quod omnium motuum et actio-
nium in homine viuo et iam formato esse in supe-
rioribus afferuimus et demonstrauimus, nimi-
rum animam humanam rationalem. Cui
opinioni etiam adstipulatur NENTE-
*RVS, quando *Physiol. Med. Cap. XI.**
Membr. I. §. XII. p. 334. ita pronuntiat:
Haec ergo ouulo infusa anima foetus format,

aut

*aut si iuxta plurimorum sententiam omnes partes iam formatae sunt, easdem nutrit, ut auge-
ri et conspicere queant.* Atque cum his reli-
qui Hypothesibus Cel. STAHLII. ad-
dicti faciunt.

§. XVIII.

Vt autem de asserti huius veritate aut falsitate eo melius existimari queat, argumen-
ta horum Virorum doctorum ad con-
firmandam hancce sententiam adhibita,
paulo curatius expendam. His enim de-
bite consideratis facilis negotio intelligetur,
quid de vniuersa hac hypothesi sentien-
dum sit. Quando igitur hoc consilio
scripta eorum voluo et reueluo, varia ab
iis allata esse obseruo, quae lectori fucum
facere, et hypothesi isti speciem quandam
veritatis conciliare possint. Quare eo ma-
gis danda opera est, vt rite examinentur.
Cum autem non ab omnibus eadem addu-
cta fuerint argumenta, sed ab uno quae-
dam adiecta, quae ab alio fuere omissa,
prouti quilibet putauit, sententiam hanc-
ce optime stabiliri potuisse atque fulciri,
hinc consultum quidem foret, vt eadem de-
bito ordine ex Autoribus colligerentur;
Sed Cl. ALBERTI otium mihi fecit,
et nonsolum argumenta plurima ab aliis

ex-

excitata distin^cte exhibuit, sed varia etiam a reliquis praetermissa, proprioque studio excogitata insimul adiecit, suaequ^e *Physiol.* *Cap. II. de Generatione* commemorauit, atque recensuit, ideo ipsius ordinem sequi constitui. Propterea tamen, quae ab aliis forte prolixius tradita sunt, et vel ad maiorem argumentorum illustrationem, vel exactiorem probationem aliquid conferre possent, subinde adiungere non desistam, ne culpam mutilati argumenti aut sensus depravati incurram.

§. XIX.

Agmen inter argumenta, quibus hanc hypothesis optime defendi posse iudicat Vir Cl. dicit arctum atque indissolubile vinculum, quod inter animam atque corpus intercedit, et secundum quod haec partes in se inuicem agunt. Atque ex eodem manifestum esse putat animam rationalem corpus suum ipsam struere. Dabo quae *Cap. II. Thes. XXX.* hunc in modum se habent: *Quod vero anima rationalis corpus formet et struat, variae attestantur rationes, quarum prima est, quod anima et corpus inter se inuicem arctum et in hac vita indissolubile vinculum et necessariam relationem habent, dum anima sine corpore, et corpus sine ani-*

anima existere non possunt, haud vero ob abstractiuam aliquam connexionem, sed ob necessariam actiuitatem in corpus exercendam et a corpore recipiendam sive admittendam. Quam longe vero haec assertio a veritatis tramite aberret, me non monente quilibet attentus lector facili opera cognoscere poterit. Primo enim nulla vrget necessitas, cur anima ob tantum vinculum atque necessariam actiuitatem in corpus exercendam, idem debeat struere. Nam arctum vinculum atque necessaria actiuitas vnius in alterum nullam neque inuoluit neque supponit praecedentem structuram, cum utrumque citra factam ab anima constructionem corporis esse atque fieri possit. Quodsi enim ex arcto vinculo atque necessaria relatione, qua duo subiecta inter se inuicem continentur, statim colligi debeat, quod vnum alterum produixerit, vereor fane ne multae futilles & ridiculae conclusiones inde elici possint. Sic enim e. g. rotulæ in horologio inter se inuicem arcto & indissolubili vinculo ut & necessaria relatione copulantur, dum vna sine altera esse nequit, haud vero ob abstractam aliquam connexionem, seu ob necessariam actiuitatem & exercendam & iterum recipiendam.

dam. Quod si iam conclusio Viri Cl. locum haberet, sequeretur sane omnino quod una rotula alteram produixerit, eiusque causa struens reputanda sit. Quod, quam friuolum sit, nemo non videt. Deinceps eadem facilitate qua Vir Cl. hoc argumento demonstrare conatur, animam esse principium formans corporis, probare quam optime licet, corpus esse principium struens animae. Est enim inter utrumque vinculum arctum et indissoluble in hac vita necessariaque relatio, et sicut corpus sine anima esse nequit, ob necessariam actuitatem in corpus exercendam, ita nec anima sine corpore existere potest ob necessariam actuitatem a corpore recipiendam sive admittendam. Ut igitur eadem ratio, propter quam anima corpus suum formare dicitur, et valorem suum tueatur ad euincendum oppositum animam scilicet a corpore strui. Tandem si commercium inter animam et corpus documentum peractae ab anima formationis existit, inferendum omnino animam Adami atque Euae corporis sui exstissem principium formans, cum vtraque anima eandem, qua nos utimur cum corpore suo habuerit connexionem. Sed cum

C lon.

longe aliter ex divina revelatione institua-
mur, facile adparet, ex commercio animae
atque corporis nullam pro defendenda
hac hypothesi desumi posse probatio-
nem.

Secundum argumentum sequenti thesi exhibitum Vir Cl. a motu petit, quo mediante generatio absoluitur. Hunc immateriale esse atque a causa immateriali, quae anima est rationalis, pendere, libere profitetur, indeque euidentissime consequi putat, animam existere principium formans. Sic enim loquitur Thes. XXXL
Quod anima rationalis opus generationis administraret, secundo ex eo eluiscit, quia hoc negotium motu vnicesset absoluitur, hic motus vero ut actus et immateriale quid a causa immateriali, qualis in corpore anima est, pendet, et effectus de sua causa testetur. Circa quod argumentum varia omnino monenda forent, si illud hic excutere meum foret propositum, praesertim cum assertum illud de immaterialitate motus multis scatcat erroribus. Cum autem Dn. Autor idem et pro demonstranda sententia sua quod anima vitales motus administraret, iterum urgeat, ibidemque suam de immaterialitate motus

pleniū declarat mentem, eoasque argumenti huius discussionem differre decreui, iū evidenter tum ostensurus, motum permanentem immateriale dici atque haberi, et ex vano praeiudicio non nisi a causis immaterialibus deriuari.

§. XXI.

Eiusdem commatis est et tertium argumentum ab animae humanae potestate administrandi motus vitales desumtum, quod Thes. XXXII. his verbis a Viro Cl. est comprehensum. *Sic anima tertio corpore mouet et conseruat, quod ex capite de natura eius elucescit, formatio vero est primus accessus ad futuram conseruationem, quin confirmatio et augmentatio corporis est continuata formatio; ita sequitur rationalem animam etiam corpus struere.* Nititur enim illud rationibus sequenti capite examinandis, quae cum fictae atque merito erroneae habeantur, uti ex infra dicendis constabit, facile intelligitur, quam parum roboris huic sententiae hinc accedat. Nihil itaque nunc addo, cuiuslibet iudicio committens, quo ad hypothesis istam his ratiociniis sibi persuaderi patiatur.

§. XXII.

Pede potius inoffenso ad argumentum

TRUT

C 2

pro-

progredior quartum, quod ex motibus proportionatis atque regularibus, quibus negotium generationis absolvitur, demonstrare satagit, animam rationalem principium existere struens, cum eiusmodi motus a causis materialibus proficiisci nequeant. Argumentum ipsum Thes. XXXIII. sequentibus verbis Dn. Autor complectitur: *Imprimis vero assertum hoc confirmatur, quarto, quoniam generatio actus est exquisite proportionatus, ordinatus, regularis, consistens in distinguendis regionibus, partibus, locis, figuris, magnitudinibus, relationibus ad mutua officia, atque affabre applicandis, complicandis, coordinandis diuersis materiis, qualia requi- ta a causis corporeis deduci haud possunt.* Huic argumentationi aliquam inesse speciem, eamque ad hypothesis in assumtam confirmandam quodammodo comparata videri, vero omnino simile haberi posset. Sed si paulo attentius discutiatur, longe adhuc a vera demonstratione abesse deprehenditur. Falso enim supponitur, generationem esse actum exquisite proportionatum, qui in distinguendis regionibus, partibus, locis &c. &c. consistit, siquidem hoc ipsi experientiae aduersatur. Hac enim exploratum est, nihil harum re-
rum

rum in ouulo fieri, cum partes omnes fœtum constituentes a primo inde tempore iam adsint, et hinc nulla vel applicatione vel coordinatione indigeant. Vnde nec vlo respectu quodam necessarium est, vt partes, regiones, loca, figurae, magnitudines et relationes ad mutua officia diuidentur atque distinguantur, sed sufficit, vt nutriantur, atque continua succi nutritij appositione in dies augeantur, et magis magisque extendantur, quod tamen sine animae concursu fieri posse ex infra dicendis elucescit. Evidem non sum nescius, quod plurimi horum Virorum succedaneam embryonis admittant formationem, delineationemque partium corporis humani plane reiiciant, vti Cel. STAHLIVS *Phys.* p. 258. et 266. Dn. D. ALBERTI *Physiol. Cap. II. Thes. 82. seqq.* aliique. Verum, quo iure indubitatae et tot observationibus confirmatae experientiae obloquantur, perspicere nondum possum. Fœtus enim abortiui vnius, duorum, triumque mensium sufficienter indicant, partes in vniuersum omnes tum iam esse praesentes, et non nisi ratione magnitudinis a fœtus adultioris partibus differre. Nec ipse id abnuit Cel. STAHLIVS

quando *Physiol.* p. 263. inquit: *Certe corpuscula conceptuum menstrui forte vel paulo amplius temporis per praecipites abortus plethoricarum excusos intueri coniungit, non excedentia imo vix aequantia mensuram formicæ maioris, in quibus tamen conspicue distinguere licuit artus, truncum, et caput, et nudo quidem oculo.* *Sicut in corpusculis talibus inter secundum et tertium mensem excedentibus non duos totos polices mechanicos longis etiam omnia membra digitos, nares, labia, sexum.* Idem etiam alii Autores confirmant, ut Dn. LITTRE. in *Act. Erud.* 1706. p. 263. et Cel. R VY SCHIVS. *Thes. Anat.* VI. p. 26. nec non Cel. HEISTERVS. *Disq. qua partus tredecimestris pro legitimo proponitur Cap. II. §. 2.* *Quae cum ita se habeant, manifestum est, omnes partes a primo conceptionis tempore praesentes esse, et dispositione atque ordinatione quadam neutiquam indigere, multo minus succedaneam formationem vsque in medium gestationis tempus durare, prout opinatur Dn. ALBERTI. *Physiol. Cap. II. Thes.* 95.* *Quare argumentum inde presumtum adstruendae animae formandi facultati nullatenus inferuire potest.* *Nequis est, ut metuamus, ne hoc asserto sorrida*

dida superstitione committatur, quemadmodum sibi persuadet Cl. ALBERTI. *Specim. Med. Theol.* p. 178. quandoquidem non ex vano quodam zelo atque religioso cœco rigore sine ullo solido fundamento hic aliquid adstruitur, quod tamen Vir Cl. ad superstitionem medicam requirit c. l. p. 150. sed fundamentis inconclusis, experientiaeque indubitatae, quae nunquam a Viro Cl. destruentur, cuncta innituntur.

§. XXIII.

Sed largiar tantisper, haec omnia eiusmodi ratione, quam Dn. ALBERTI sibi persuadet, fieri; vndenam elucescit animam rationalem circa eadem occupatam esse et ab hac ista omnia peragi? Anima enim foetus quae illud praestare dicitur, nunquam ante corpus inhabitauit, neque vñquam aliquod construxit. *Quodsi* igitur nulla corporis humani omniumque partium cognitione polleat, architectonicam quoque corporis humani omnino ignorabit, vt sic dictae applicationis, coordinationis et reliquorum causa nullo modo atque iure censeri queat. Neque ab anima Patris, a qua sola originem trahere asseritur, ipsi haec notitia potuit esse infusa,

partim quoniam nullo documento sese excusat, latere in anima patris hanc scientiam, partim quoniam in Adami anima illa non adfuit, neque esse potuit, a qua tamen ad posteriorum animas haecce scientia erat propaganda. Notum enim est Adami animam corpus suum non construxisse, sed potius tota massa corporea iam fabricata, a DEo ab extra demum in corpus immisam et cum eo unitam esse. Ideo nec de construendo corpore sibi notitiam comparare potuit, nec cum animabus ab ipsa propagatis eandem communicare. Ex quibus relinquitur, si vel maxime singula ea, qua venditantur ratione, in ouulo euenirent, animam tamen rationalem horum statui causam non posse.

§. XXIV.

In hactenus adductis argumentis nulla plane vis ad euincendam sententiae huius veritatem obseruata fuit. Itaque ad alia pergendum erit, ut examine instituto intelligatur, vtrum firmiori stent talo nec ne? Prodeat eum in finem quintum argumentum *Thes. XXXIV.* propositum, quod sequentis est tenoris: *Proinde, quinto, futurus usus Corporis animalis, tam ad operaciones voluntatis, quam vitalitis dirigendus,*

re-

requirit principium generationis non irrationale, sed quod corpus ita formare, et struere potest, prout usibus illis competit, unde refert, quo illud principium de talibus usibus non modo habeat praescientiam, sed etiam de relatione corporis struendi ad eosdem usus notitiam. Supponit Vir Cl. iterum in hoc argumen-
to succedaneam corporis formationem, omniumque partium ex materia rudi et indigesta in ouulo contenta elaboratio-
nem, indeque porro necessitatem princi-
pii rationalis tanquam indubiam deriuat, quoniam corpus alias, prout ad certos
usus destinatum est, ex illa materia forma-
ri nequeat. Eum in finem huic princi-
pio illorum nonsolum usum scientiam,
sed etiam relationis struendi ad eosdem
usus corporis notitiam vindicat. Verum
enim vero, quoniam iam §. XXII. demon-
stratum fuit, fundamentum istud ruino-
sum ab experientia prorsus subrui, et cor-
poris applicationem ad istos usus longe
alia ratione impetrari, citra quod principii
rationalis formantis concursus requiratur,
nimur per delineationem diuinitus
(procul dubio iam ante impraegnatio-
nem) factam, hinc sua sponte principii ge-
nerantis non irrationalis necessitas euane-

C 5

scit.

scit. Posito autem, propter futuros usus corporis humani requiri principium rationale, an inde certo consequitur, animae rationali, hoc quicquid est muneris, datum esse? minime gentium! Evidem non difiteor, structuram corporis humani ita comparatam esse, ut ab ente materiali atque irrationali ad tam egregios usus non potuerit disponi atque dirigi; sed ea propter animae rationali officium hocce statim deferri nequit. Saltem ex natura spiritus finiti neutquam fluit, illam potentia instructam esse, ex massa, prout ipsi afferunt indigesta fingendi partes corporis nostri, easdemque ita disponendi, ut deinde conuenientes praestare queant usus. Ea enim potentia Entis Intelligentis summi propria existit, non autem spiritibus finitis per se competit. Neque ulla constat indicio, vllaque specie adfirmari potest, animae humanae facultatem istam a DEo, a quo eandem mutuo accipere debuisset, si illa praedita esset, aliquando fuisse communicatam, quare nec ipsi eandem adscribere audeo. Quando autem praeterea Vir Cl. defendit, necesse esse, ut anima rationalis eiusmodi usum non modo habeat praescientiam, sed etiam relationis corporis

ris struendi ad eosdem usus notitiam, ad-
huc magis causee suae desperatae infirmi-
tatem et falsitatem prodit. Tantum
enim abest, ut horum usuum praescien-
tiā, et corporis ad eosdem struendi noti-
tiā in anima haerere, vno demonstrari
argumento queat, vt petius omnium ho-
minum consensu eiusmodi praescientia at-
que notitia in eadem desideretur, atque
nemo gloriari possit, eam unquam sibi ob-
tigisse. Optandum certe foret ut animae
notitia eousque se extenderet, cum hac ra-
tione tantā cum sollicitudine diuersarum
partium usus adhuc non inuestigandus es-
set, e. g. Glandulae thymae, renumque
succenturiatorum usus hactenus omnibus
anatomicis incognitus. Neque opus es-
set, ut tanta contentionē de usu cerebri de-
certaretur, et num illud secernendis spiriti-
bus neruosis sit destinatum nec ne, disqui-
reretur, siquidem anima vnius cuiusvis vi
propriae notitiae diiudicare posset, quid
adfirmandum, quidque negandum sit, ac
errores hactenus admissos leui negotio
emendare, totique controversiae exopta-
tum imponere finem. Quid? quod non
quoad hoc tantum momentum veritas ex-
ploratu haud difficilis esset, sed vniuersa

et.

etiam de partium usibus doctrina prompte intelligeretur, nec per omnia retro ferme secula plurimis controversiis implicata fuisset, sed dudum vniuerso generi humano perspecta fuisset, si ita res se haberet, prout Viri docti volunt. Cum autem nihil harum rerum in anima haec tenus deprehensum sit, neque quod vnuquam tale quid ipsi cognitum fuerit, maxima cum cura, vel omnium rerum vnuquam sibi cognitarum ideas reuoluendo, sibi in memoriam reuocare possit, merito concludo, corpus prout usibus illis destinatum est, ab anima non fabricari, adeoque eam principium formans rationale haberi non posse.

§. XXV.

Sextum Argumentum desumptum est ab animi pathematibus generationis negotium varie alterantibus, atque Thes. XXXV. his verbis expositum: *Hinc etiam sexto negotium generationis per animi pathemata valde alterari et proxime offendit potest, luculento testimonio connexionis animae cum hoc negotio.* Verum enim vero hoc argumentum aequum infirmum est, ac omnia reliqua haec tenus commemorata, nullaque ratione probat, animam foetus corpus sibi suum struere. Animi enim pathemata generatio-

nem

nem alterantia innuunt, animam interdum huic negotio immisceri, suisque perturbationibus fœtum saepe afficere posse, id quod nemo in dubium vocabit, dum ipsa quotidiana experientia illud innumeris exemplis comprobat. Quamquam autem haec connexio manifesta sit, intempestiu[m] tamen animae facultas struendi ex ea infertur, cum res quaedam, quae cum alia quandam habet connexionem, aut in eandem agit, ea propter illam statim non producat. Sed fac, hanc alterationem insimul testari animam formans principium esse, quaenam tum intelligenda erit anima, fœtus ne an matris? Mih[ic] sane, si ex hac perturbatione aliquid colligendum esset, rectius inde inferri videtur, potius matris quam fœtus animam intelligendam, illique formandi munus adsignandum esse. Illa enim non haec per animi pathemata varie alteratur, et non proprio corpori sed et fœtui effectus hosce imprimit. In hanc etiam cadunt causae istae, quae offenditionem hancce producunt. Vicissim anima fœtus ita affici nequit, cum causae quae irritamento esse possunt, ab extra adueniant, adeoque ad ipsam immediate pertingere nequeant. Ut igitur vi huins argumen-

gumenti anima foetus ab hoc officio potius remouenda sit, quam eidem praeficienda. Sed concedam et hoc, quod illi volant, animi scilicet pathemata animam foetus afficer, eandemque alterare atque sic generationis negotium impedire, num exinde statim fluit, animam struere corpus? ego saltem, hanc consequentiam me peruidere non posse, fateor. Causa namque turbans struens causa statim dici non potest, cum et variae aliae causae generationem alterare queant, imo actu offendant, quas omnes si ideo struentes dicere vellemus causas, quot tum non anima foetus corpus struens in societatem coordinationis et structurae admittere et adseiscere debet?

§. XXVI.

Melius forte confirmabit hanc hypothesis in septimum argumentum Thes. XXXVI. comprehensum, quod ita se habeat: Deinde illustrat et confirmat assertum de anima, tanquam principio formante, septimo illud quotidianum phænomenon, quomodo imaginationes aut mentales fictiones in deformationem foetus corporis frequentissime cedant, iterum manifesto documento, quod anima cum actu generationis congregiatur. Quantum

-
-
-
-
-
-
-
-

ex

ex horum Virorum scriptis iudicare licet,
 multum robori huius ratiocinio inesse sibi
 persuadent. Non enim aliud in Physio-
 logia Cel. STAHLII atque Dissertatio-
 nibus ipsius, quae ad manus mihi fuere, ob-
 seruare potui, quod maiori inculcat soler-
 tia, quam praesens. Vehementer illud
 urget *Physiol. Sect. IV. de Generat.* p. 249.
 quando inquit: *A Posteriori non tam solim-*
potentiam hanc, quam verum actum et exerci-
tium eius, in dies monstrat reformatio, atque
deformatio ordinariae configurationis, peri-
phantasticas imaginationis ideas et intentiones.
Quod profecto argumentum ino vero documen-
tum superat vniuersas imaginationes contra-
rias. Sed salua res est, longe enim a do-
 cumento omni exceptione maiori adhuc
 est remotum hocce argumentum. De-
 formationes corporis foetus per imagina-
 tiones et mentales fictiones euenire, nega-
 ri equidem nequit, teste experientia omni
 exceptione maiori, sed posse hinc hypo-
 thesin istam confirmari, quod anima sit
 principium struens, est quod adhuc multa
 indiger probatione, et ex rationibus pre-
 cedenti so allatis plane contrarium appa-
 ret. Anima enim matris eiusmodi ima-
 ginationes atque mentales fictiones souet,

non

non autem anima fœtus, prouti ex imaginationibus fortioribus in grauidis obortis evidenter adpareat. Imo si ipsam assertionem Cl. Dn. ALBERTI penitus inspicio, is non sententiae suae, quod anima fœtus sit principium struens, praesidium in ea quaerit, sed documentum tantum id manifestum esse, inquit, quod anima cum actu generationis congregatur, quod si de anima matris capiatur, ipse neutquam abnuo. At enim eiusmodi congressus, qui interdum contingit, nondum euincit, animam semper generationis negotio implicari, aut eandem perficere atque plane absoluere.

§. XXVII.

Sicuti autem fragmentis vt plurimum veritatis fucus adspergi solet, vt incauti decipientur, ita etiam praesens argumentum fingendo et refingendo eo tandem deducitur, vt vis quaedam concludendi in eo haerere videatur. Videlicet non negant, animae matris imaginationes hasce ac mentales fictiones primum se offerre, hoc autem insimul addunt, imaginationes matris ad animam fœtus transferri, et hanc deinde secundum fictiones mentales receptas fortiterque impressas corpus deformare

mare atque fingere. vid. Cel. STAHLIVS. *Physiol.* p. 250. et 252. nec non CL. ALBERTI. *Medicinali und Philosophische Schriften.* p. 614. Utque eo facilius hoc assertum aliis persuadeatur, Cel. STAHLIVS variis illud rationibus c.l. confirmare studet, quas propriis Viri Do, Etissimi verbis excitatis dabo: *Quod autem, inquit, infantis ipsius sit anima, quae has ideas, secundum quas operetur, etiam talem configurationem materialem, primo recipit, confirmatur partim argumentis a priori, partim documento a posteriori.* Argumenta sunt pri-
 mo quod ideas mere ficticias seu cogitabundas, ab anima cogitante nullum aliud ens aut agens suscipere, assumere, easdem imitari valeat, nisi congeneris indolis ens et agens. Tanto magis, secundo, quia ideae tales simpliciter et qua tales, nullum effectum post se trahunt, sed unice et absolute, quatenus sub certa aestimatione pure morali non tam figuratae quam ponderatae atque moraliter comparatae sunt. Documentum a posteriori est proprie efficacia illa huiusmodi maternarum impressionum in ipsum animum etiam infantis, unde vel immoderata desideria, vel insuperabiles terrores, metus, anxietates ex eodem tali matris phantasmate: quale quidem alias, imo aliquando simul, confor-
 matio-

D

mationem eiusmodi heteroclitam corpori ipsi una imprimit.

§. XXVIII.

Sunt haec, quae recensui, ita quidem comparata, ut incautos fallere haud aegre queant: tanta tamen minime sunt, ut iisdem sententiae huic, quod anima foetus sit causa deformationis, aliquod adiungatur robur. Quando enim rationes allatas exactiori subiicio examini, atque speciatim primam harum iuste aestimo, statim obseruo, supponi hic aliquid quod multa adhuc indiget probatione. Nam quamuis non abnuam, ideas cogitabundas ab anima cogitante nullum aliud ens suscipere, assumere atque imitari posse, nisi congeneris indolis Ens et Agens, si nempe illae assumendae sunt atque imitandae. Probandum tamen adhuc erit, assumptionem atque imitationem id earum animae matris ab anima foetus requiri, aut aliquando vel contigisse vel contingere. Neque enim istam idoneam quaedam causa postulat, neque indicio quadam, eam contigisse, constat, neque ex effectu in corpore se exscente, eadem probari potest. Ipse potius nullus dubito, easdem ab anima matris, quamvis citra eius intentionem, ad corpus fœ-

fœtus transmitti, quandoquidem fœtus, licet propriam viuat vitam, arctissimo cum matre vinculo connectitur, vi cuius, eiusmodi ideae non proprium tantum matris corpus sed et fœtum immediate afficere possunt, citra quod ad animam fœtus prius deferantur. Nonne experimur, morbos grauidarum cum ipsis infantibus immedia-
te communicari? quemadmodum erudi-
te exposuit Illustr. F RIDER. HOFF-
MANNVS *Diss. de Morbis fœtuum in*
Vtero materno Hal. 1702. habitā, quos ta-
men prius cum anima fœtus communicari,
ut eosdem deinceps in corpus suum intro-
ducat, nemo ferio adferere audebit, et si
adserendum sibi sumeret, omnium se ludib-
rio exponet. Quamdiu itaque nec ne-
cessitas huius assumptionis demonstratur,
neque certum atque indubium eiusmodi
susceptionis atque imitationis documen-
tum profertur, neque aliunde ea confirma-
tur, tamdiu inane censendum est hoc ar-
gumentum, neque dissentientium causae
patrocinari potest. Multo minus autem
fauet huic opinioni secundum argumen-
tum, quod quia ideae, quatenus sub certa
aestimatione pure morali ponderatae, ef-
fectus hosce post se trahunt, ideo anima-

D 2

fœtus easdem recipiat. Nullam enim hic, fateor, deprehendo consequentiam, imo harum idearum indoles talem receptionem atque imitationem neque indicat, neque requirit. Nec video, quid obstat, quo minus eadem effectus suos exserere nequeant, nisi cum fœtus anima prius communicentur, cum tamen in corpora tam virorum quam feminarum non grauidarum vehementer agere soleant, citra quod ad aliud ens intermedium intelligens antea sint deferendae, licet ob partium solidarum robur corpora adulorum deformare nequeant. Quod autem sub certa aestimatione pure morali ponderentur, neutquam efficit, ut ideo ab anima fœtus sint recipienda. Sunt enim ideae istae, quando corpus iisdem afficitur, semper ita comparatae, siue in grauidis siue in aliis hominibus animaduertuntur, cum alias omni destitutae sint efficacia, ut Philosophi affectuum vim explicantes magno consensu docent, et ipse monet Cel. STAHLIVS. Quod denique ad documentum a posteriori attinet, licet id aliquid involuere videatur, cum negari nequeat, quod matres praegnantes furtis gaudentes infantibus furti desiderium et amo-

amorem imprimant, sicuti et aliae inclinationes, tam bonae quam prauae, ipsis hac ratione ingeruntur: retamen accuratius expensa, minime ex eo consequitur, impressiones hasce a matre cum anima foetus communicari. Ut enim taceam animam foetus ad recipiendam aliquam ideam plane inhabilem esse, vti sequenti §. demonstrabitur, nullae etiam suppetunt rationes, quae ostendunt, eiusmodi ratione animam foetus ad inclinationes matrum inclinationibus congruas disponi. Quanquam enim vniuersum obscurum atque explicatu difficile sit, quomodo istae dispositiones foetum attingant, atque genuinus modus difficulter demonstrari possit, longe magis tamen veritati consonum existit, quod matris inclinationes corpus tantum infantis alterent, in eoque certas dispositiones producant, quibus infantes deinde ad consimiles propensiones accenduntur. Quod vt credam, moueor, quoniam animaduertimus infantes, quorum temperamenta temperamentis parentum respondent, eosdem cum parentibus souere mores. Haec autem consensui temperamentorum vnicē debentur, siquidem contestatum est, mores animi sequi temperamentum

corporis. Quae cum ita sint, quam probabilissimum reor, impressiones maternas vim suam in corpus infantis exercere, quod deinde eo, extra uterum constitutum, ad similes actus occasione data incitat.

§. XXIX.

Praeter haec quae aduersus Celeberr. STAHLII argumenta excipienda putavi, asserto isti de anima foetus ideas matris recipiente varia opponi possunt eaque non levia momenta. Et quidem 1) Impossibilitatem huius asserti euidenter comprobant circumstantia illa notissima, quod anima foetus, quamdiu in utero haeret, ob defectum mediorum percipiendi nullas de rebus sensualibus atque materialibus sibi formare possit ideas. Nam vero ideae istae, circa quas anima matris versatur, et quas animae foetus imprimere dicitur, res materiales atque sensuales semper concernunt, siue tunc temporis actu praesentes sunt, quando anima de iisdem profunde cogitat, siue olim adfuerint. Quomodo itaque anima foetus eiusmodi ideas de rebus materialibus recipere, sibique imprimere, et tam distincte repraesentare potest, ut secundum easdem deinde iterum exacte operetur? Certe si anima foetus crassas ha-

fce

sce ideas cognitas sibi reddere posset, in gentem sane rerum naturalium, citra sensuum ministerium, sibi comparare posset notitiam, de quibus tamen, experientia teste, non nisi temporis successu certior redditur. Quod autem sine hisce mediis speciatim autem organis sensoriis ad percipiendas res extra se positas plane inhabilis sit, ipse confirmat Cel. ST AHLIVS, quando *Disquis. de Mechanism. et Organism.* diuersitate p. 29. ita loquitur: Tanto facilius autem elucet, quam certam et absolutam relationem haec (scilicet organa) habeant, ad ipsam animam, cum sine illis anima omnium illarum rerum absolute impossib. existat, neque ullam cum illis conuersationem aut de illis praefigurationem adsequi possit; unde merito, non vero certo, concludere licet, quod anima humana de illis rebus, ad quarum perceptionem organis conuenientibus destituta, nullum unquam vi typum, ita nullum etiam conceptum adsecutura esset, nec ullam etiam illarum ideam quo modo formatura. 2) Euincit hanc impossibilitatem ipsa horum Virorum de modo cognoscendi, quam foetus animae tribuunt, hypothesis. Fatentur enim, qui accuratius hac de re loquuntur, animam foetus durante vniuerso generationis

negotio per simplicem rationem s. intellectum insitum operari vid. Cl. ALBERTI. *Medic. und Philosophische Schriften* p. 154. aliisque. Haec autem ratio siue intellectus insitus cognoscit res suas sine crassa praefiguratione vid. Cl. ALBERTI. *Medic. und Philos. Schriften.* p. 149. eiusdemque *Diss: de sensu Vitali Hal.* 1715. habita, et iuxta alios citra idearum praefigurationem. Quod itaque si verum est, uti Dni Autores putant, necessario corruat assertum, quod anima foetus ideas hanc figurativas matris recipiat, cum ideae istae non ratione siue intellectu insito, sed ratione comprehendantur, hac autem anima adhuc destituatur. 3) Huic opinioni repugnat, quod nullus, ne quidem probabilis modus indicari possit, quo mediante haec communicatio queat institui. Nam animam matris atque foetus in loco quodam tertio conuenire, atque consilia et ideas conferre, nec ratione quadam asseri, nec nisi a stupidissimo credi potest. Multo minus veritati conuenit, fieri hoc subtili communicatione idearum animae matris in foetum uti credit Cl. ALBERTI. *Med. und Philos. Schriften.* p. 613. Insciri quidem nolo in animabus a corporibus

-093-

+ 1

bus separatis talem communicationem locum habere posse, longe alia tamen animarum corporibus adhuc inclusarum ratio est, quippe quarum indoles eiusmodi communicationem non admittit. Neque audiendus Vir Cl. quando modo citatis scriptis p. 154. alium adhuc modum allegat, ex quo suppositum phænomenon explicare studet, fingendo nimirum harmoniam rationis inter animam matris atque fœtus, quandoquidem eadem aequa indemonstrabilis est atque ipsa communicatio, et praeterea ideo etiam probari nequit, quoniam anima matris iuxta propriam Viri Cl. confessionem imagines fictitiae non ratione considerat, sed ratiocinatione, et Cel. STAHLIVS etiam profitetur quod hae imagines fictitiae sint entia rationis ratiocinantis, ut loquitur *Physiol.* p. 250. Ut itaque supposita harmonia rationis merito commentis sit adnumeranda, quae praeterea aequa obscure modum communicationis explicat ac occultae sic dictae qualitates. Vnde etiam satis ingenua est confessio Cel. STAHLII quando *Physiol.* p. 250. inquit: *quod non exprimi possit, quomodo huiusmodi imago fictitia etiam ab anima matris animae fœtus communicetur.*

D 5

Qui-

Quibus omnibus in summam collectis, non immerito concludo, animam foetus ab anima matris nullas plane recipere ideas, sive que eandem non esse causam deformantem corporis sui adeoque illud etiam non construere.

§. XXX.

Sed satis de hoc argumento dictum est. Progressum igitur facio ad octauum, quod eo reddit, ut ex tranquillitate animae actum generationis promouente demonstretur, animam foetus corporis sui existere principium. Sic enim loquitur Vir Cel. *thes. XXXVII.* Similiter octavo ex historia generationis constat, quomodo sub reliqua tranquillitate animae et continentia actus generationis longe expeditius succedat, et vice versa, quae ratio cum prioribus connexa valorem suum sat superque defendit, ne exceptio illa obtrudatur, quasi tranquillitas animae reliquos motus vel mechanicos vel physicos vel aliunde prouenientes non turbet, et impedit, quae tamen valde obscura et a distincto conceptu aliena est. Non capio, quomodo hoc argumento corroborari queat hypothesis, quam confirmare debet, animam nimirum foetus in constructione esse occupatam. Dissimulari quidem nequit, animam matris a curis at-

atque alienis cogitationibus vacuam feliciorum generationis successum multum adjuvare. Nec inuitus largior continentiam ipsius, motus aliunde prouenientes, multum impedire, ne damnum saltem non adeo subito inferant, siveque exceptionem istam ab aliis forsan formatam nullius esse valoris. Ast haec omnia nondum euincunt foetus animam corpus suum struere. Rectius forte, si quid exinde colligi posset, assereretur, animam matris non autem foetus principium formans esse, cum tranquillitas atque continentia in illa non auctem hac obseruentur. Quodsi excipient ad animam foetus tranquillitatem hanc ab anima matris immediate propagari, et hoc supposito, ipsius continentia generationis negotium longe expeditius succedere, habent, in quo demonstrando ingenii vires periclitari possint. Posito autem continentiam animae matris immediate deferri ad animam foetus, eandemque ope huius generationis auctum promouere, nondum tamen propterea euictum est, animam foetus ordinariam et directam causam esse, quae omnia in corporis formatione disponat atque moderetur. Varia enim concurrunt tam positiae quam priuatiae, ut

lon-

longe expeditius succedat generationis negotium, quam his absentibus aut aliter comparatis id successurum esset. Sed omnes hasce causas ideo struentes dicere, quoniam successum generationis promotionem reddunt, absconum foret atque ineptum.

§. XXXI.

Nihilo melior nona est ratio, quae desumitur ab aegritudine foetus, qua anima matris alteratur, ex qua apparare putat animam foetus genuinum esse principium corporis sui formans. Verba ipsius fluunt *thes. XXXIX.* Ita enim euenit nono, ut si foetus aliqua aegritudine, aut quodam incommodo laborat, anima matris exemplo alteretur et angatur, nouo quodam testimonio, quod in qualibet circumstantia generationis anima rationalis occupetur, atque laboret aut communicet. Verum enim vero quis vñquam hoc phoenomeno de veritate asserti, quod anima foetus construat sibi corpus suum, vel leuiter conuinci posset? Non equidem operose demonstrabo, animam matris non semper exemplo alterari, quando foetus aliquo laborat incommodo, cum variis causis hocce euidenter testentur, ipsaque mors foetus in vtero, matri diu multum que

que saepe incognita aut dubia luculenter id probet. Interea si vel maxime hoc phœnomenon nulli dubitationi obnoxium foret, nil tamen inde aliud exsculpi posset, quam quod interfœtum et matrem perpetuus intercedat nexus, quem tantum abest ut ego diffitear, ut potius supra iam adstruxerim, vi huius connexionis alterius incommoda ad alterum deferri posse. Praeter rem vero hoc phœnomenon eo detorquetur, ut propterea in qualibet circumstantia generationis anima rationalis occupari atque laborare aut communicare credatur, cum ex speciali isto casu vniuersus generationis actus dijudicari neutiquam queat, nisi quis a particulari ad vniuersale concludere h. e. paralogismum formare vellet. Sed esto etiam hoc indicio constare, quod anima rationalis in qualibet circumstantia generationis laboret aut communicet, non tamen alia hic intelligenda foret anima quam matris, cum ipse Vir Ch fateatur, quod anima matris aegritudine fœtus alteretur, atque angatur. Itaque haec ratio conuelli hypotesin, animam fœtus existere principium formans, quam tamen iuxta mentem Viri Cl. defendere atque confirmare debebat.

§. XXXII.

§. XXXII.

De decimo argumento Thes. XL. adducto, quod ita se habet: *Quo magis sub generatione anima in qualemque alacritatem moderationem et continentiam conuerti et promoueri potest, eo magis eoque facilius immo accuratius actus generationis procedit;* superuecaueum duco ut multa differam. Non solum enim se imbecillitate manifesto fatis prodit, sed etiam quae circa id monenda erant, §. XXX. iam recensita sunt, quippe qua argumentum, si rei summam respicias, cum hoc prorsus idem discussum est. Ut actum itaque egerit Cl. Vir, crambem eandem recoquens, iterumque adponens.

§. XXXIII.

Conuerto mead vndeclimum argumentum Thes. XLI. indicatum, quod ex continentia morum inter parentes animae fetus viu struendi vindicat, atque sequentis existit tenoris: *Sic porro contingit undeclimo, ut quo magis animae inter parentes consentiunt, et moribus et inclinationibus suis bene conueniant, eo magis actus generationis promouetur, et vice versa.* Quod argumentum, dum considero, in memoriam mihi reuoco, Virum Cl. rationalem logicam alias

XXXIV.

ma.

magnificere, eaque propter claudicantes
 D. PANCRAT. WOLFFII illatio-
 nes admodum vehementer reprehendere,
 vt etiam de eiusdem syllogismo quodam
 in den *Médic. und Philos. Schriften*, p. 314.
 ita exclamat: *Risum teneatis amici de magno
 Logico, qui rectius pontem romanum reparat,
 et pontem verae sapientiae et rationis sanae de-
 uafat et destruit etc.* Sed quid dicendum
 erit de Viro Cl. dum ita concludit: Si ge-
 nerationis actus promovetur, quando ani-
 mae inter parentes consentiunt, et moribus
 et inclinationibus suis bene conueniunt, se-
 quitur, quod anima foetus suum formet
 corpus. Nolo hic quicquam definire, ne Vi-
 rum Cl. lacerare videar; sed lectoris arbit-
 rium cuncta permittam, hoc unum adi-
 ciens, connexionem inter antecedens et
 consequens omnibus licet industriae ner-
 uis intensis a me detegi non potuisse.

§. XXXIV.

Missis itaque leuibus hisce ratiunculis,
 congregendum mihi est cum assimilatio-
 ne infantum, quae thes. XLII. his verbis vr-
 getur: *Praeterea duodecimo phænomenon
 quotidiana experientiae est, quomodo infantes
 assimilentur suis parentibus, quæ conformatio
 et assimilatio sine concursationis informante*
et

et dirigente aut constanter disponente fieri haud potest. Sed iterum debile atque infirmum existit hoc argumentum, quod hypothecos veritatem nunquam demonstrabit. Assimilari interdum infantes parentibus equidem negari nequit, fieri autem hoc concursu rationis constanter disponentis, i.e. ope animae rationalis foetus struentis, nisi firmissime probetur, prorsus admitti nequit. *Quamuis enim neutiquam abnuere velim, animam matris fortis sua imaginatione assimilationem interdum efficeret, nullo tamen modo concedi potest, circa matris præfigurationem ab anima etiam foetus idem praestari posse.* Habet enim anima foetus nullam de externo habitu corporis parentum ideam, neque recipere eandem valet, cum vti ipsi Dni. Autores satentur, non versetur circa ideas crassas sive figuratiuas, sine quibus tamen nullam de habitu isto, sibi comparare notitiam valet. Et si haec notitia cum ipsa ab anima patris vel matris esset communicata, necessario assimilatio si non in omnibus in plurimis tamen liberis foret obseruanda. Nam animae infantum, vti secundum ideam de omnibus partibus corporis, cum ipsis sub propagatione communicatam,

sem-

semper proprium corpus construere dicuntur; ita et iuxta ideam de externo habitu parentum ipsis insimul impressam necessario agere deberent, sicque corpus suum et quoad externa, nisi turbatae, efformare et parentibus simile reddere deberent. Sed quam raro hoc inter tot hominum myriades contingat, quotidiana confirmat experientia, cum multi infantes quoad assimilationem plane degeneres h.e. adeo dissimiles parentibus deprehendantur, ut ferme existimandum sit, vel nullam cum ipsis communicatam fuisse ideam, vel eandem fuisse turbatam, vel liberos ipsos spurios esse aut suppositios. Praeterea impugnat hancce sententiam assimilatio foetus non quoad parentes, sed maiores auos nimirum atque proauos aut cognatos vel ab ipsis parentibus nunquam visos, de quorum habitu externo animabus rectum nulla imprimi potuit notitia, vt itaque frustra ex assimilatione perpetuis et constans animae rationalis foetus ad generationem concursus ducatur.

§. XXXV.

Decimum tertium argumentum pro confirmanda hypothesi thes. XLIII. allatum, quod si foetus sub actu generationis quale-

E

812°

cunque impedimentum accidit, exinde mox anima matris perturbetur, uti contra si anima matris confunditur, actus generationis reciproce exinde non exiguum perturbationem suscipit, ita ut ubique anima rationalis in hoc negotio actua obseruetur, studio praetereo, ne eandem cantilenam cum Viro Cel. repetam, quippe qui idem iam proposuit sub argumento nono, quod §. XXXI. fuit examinatum. Ut itaque nulla adpareat ratio, cur idem ab ipso denuo sit propositum, praesertim cum ex supradictis intelligatur, nullam eidem vim probandi inesse. Procul ambagibus itaque ad decimum quartum transeo argumentum *thesi XLIV.* a Viro Cel. sequenti ratione propositum: *Et quando decimo quarto perpendo, quam exquisito tempore et regulari periodo negotium generationis circumscriptum sit, iudicare aliter haud possum, quam ut huius negotii principium sit rationale, quod secundum certas distantias temporum operatur, cum nulla corporis dispositio aut singularis constitutio uteri hanc circumstantiam necessaret.* Intelligit sine dubio Vir Cel. per exquisitum illud tempus, quo generationis negotium circumscriptum est, nouem istos menses, quos fetus requirit, ut deinde extra uterum degere possit. Verum hoc tem-

tempus non adeo esse accuratum atque exquisitum exempla permulta foetuum ante et post consuetum terminum in lucem editorum liquido demonstrant, omnesque Medici fateri coguntur, ordinarium illud tempus, quo generationis negotium plerumque absolvitur, non adeo certum constans atque fixum esse, quin aliquam patiatur latitudinem, nec semper certo a conceptione die terminari, ut ea propter multi Medici assertere non dubitarint, tempus hocce plane incertum esse. Cum igitur generationis negotium nullo exquisito tempore, nullaque regulari periodo absolutuatur et contineatur; nullo etiam modo inde colligi potest, principium rationale adesse, quod negotium hocce dirigat. Sed posito generationis negotium, eiusmodi regulari periodo, vti a Viro Cel. creditur, esse adstrictum, num inde colligitur, illud a principio rationali immediate pendere, idemque supponere? fallit certe haec consequentia, erratque Vir Cel. quando ita concludit. Quodsi enim haec consequentia firmo inniteretur tali, florum germinatio fructuumque maturitas regulari contingens periodo, rationali principio esset tribuenda. At quis tam absonus est, vt

ea propter principium rationale ipsis adscribat? Nec minus planetarum motus, certo secundum calculum astronomicum tempore circumscriptus, enti intelligenti foret assignandus, quod tamen, uti spero, nemo sanae mentis serio assuerauerit. Ut igitur facile constet suppositam regularem periodum in negotio generationis non statim euincere, principium quoddam rationale actui huic immediate praesesse, eumque dirigere.

§. XXXVI.

Hactenus recentitis adiungit Vir Cel. Thes. XLV. decimum quintum argumentum, sequenti ratione expositum: Porro luculentum est testimonium huius sententiae, si foetus in utero anima priuatur, cessat simul continuatio generationis, ita ut in hoc statu natura et generatio correlata existant. Verum si hoc testimonium recte consideratur, minime luculentum esse deprehenditur, ex quo appareat, animam foetus principium corporis sui formans esse. Committe enim Vir Cel. fallaciam causae non causae, atque discessum animae pro causa cessantis vltioris generationis venditat, quod fieri non debebat. Quamuis enim negari nequeat, cessare generationis continuacionem,

nem, quando foetus animam exhalat, ideo tamen separatio animae foetus a corpore suo causa deficientis generationis haberi minime potest, cum, quamdiu aliquo modo adhuc durat generatio, vitaque corporis salua existit, anima non discedat, sed vita demum prorsus destruta foetum deserat. Quare haec separatio cessantem generationem praecedere, eandemque efficere non potest, sed inuertendus ordo est; remittente scilicet generatione, vitaque corporis penitus desinente, anima priuatur foetus. Atque hoc adeo euidenter est, ut nullum neque exemplum neque argumentum in contrarium afferri possit, ex quo indubitanter demonstrari queat, animam foetus discedentem generationis vltioris omisfae, atque insequentis mortis causam esse. Et quis quaeso vnquam sibi persuadebit animam foetus tam stolidam fore atque stupidam, vt proprio ausu sine vlla data occasione deserat corpus suum, antequam ita est destruētum vt nulla ratione visibus suis inservire queat, et priusquam ad discessum compellatur seu eiiciatur? Ut alia taceam documenta hanc sententiam destruentia sequenti capite pluribus commemoranda,

E 3 vbi

vbi de hoc argumento iterum dicendi locus erit atque occasio.

§. XXXVII.

Cum itaque hoc argumentum Cel. Viri maxime vacillet, videbo num decimum sextum ipsius magis faueat hypothesi. Profert illud Thes. XLVI. qua ita sentit: *Nec non decimo sexto communicatio habitus corporis sive temperamenti in infantes iuxta temperamentum parentum attestatur, quod principium formans notitiam habere debeat de temperie parentum, et de eodem temperamento propagando et in nouo subiecto producendo.* Verum enim vero licet effectus iste interdum obseruetur, et eiusmodi temperamenti communicatio aliquando euenire soleat, hoc capere tamen non possum, quo iure haec communicatio temperamenti testari queat, quod principium formans de temperie parentum et de eodem temperamento propagando et in nouo subiecto producendo notitiam habere debeat. Hoc enim si indicare deberet, necesse foret, ut haec communicatio sit vniuersalis, omnesque infantes eodem cum parentibus gaudent temperamento, sed hoc experientiae repugnat, cum multi inueniantur infantes, qui quoad temperamentum cum parentibus

bus minime conueniunt, sed potius temperamento plane contrario pollent, de quorum igitur animabus necessario existimandum foret, quod suppositam notitiam non habuerint. Ad haec supra iam euictum dedi, animam parentum cum anima foetus nullam plane communicare posse ideam, quare nec temperamenti notitia imprimi ipsi potest. Cumque praeterea plurimi parentum ipsi ignorent, quali gaudeant temperamento, imo ne quidem, quid sit temperamentum, et quod aliquo temperamento praediti sint, exploratum habeant, quomodo ipsius notitiam cum anima foetus communicare queunt? Proinde facile patescit, quod ex temperamento foetus parentum temperamento analogo, nullo iure concludi possit, animam foetus notitia temperamenti instructam esse, eandemque proprium sibi corpus struere.

§. XXXVIII.

De formositate infantum a parentibus formosis genitorum desumptum testimonium, quod decimum septimum argumentum *Thesi XLVII.* exhibit, non est quod multa commemorentur. Est enim nil fortius quam praecedentia, imo nullius momenti, et quae circa idem monenda fo-

rent, passim iam sunt indicata, facileque
huc applicari possunt, quae §o. XXXIV.
contra duodecimum argumentum de assi-
milatione infantum quoad parentes exce-
pta sunt. Ut taceam, quod si formositas
infantum a principio rationali penderet,
necessario parentum formosorum infantes
omnes euaderent formosi, neque fieri pos-
set, ut parentes deformes infantes satis for-
mosos interdum procrearent. Similiter
nec speciali disquisitione indigent argu-
menta, decimum octauum atque nonum,
quorum prius Thesi XLVIII. adductum ita
se habet: *Quo decimo octauo refero specialis-
simas illas assimilationes, quando parentes rufi,
claudi, excedentium digitorum, certis naevis
praediti, generant similes infantes, qualia
phœnomena horumque causae non nisi contortio
et violento stylo et sensu materialibus qualitatibus
adscribuntur.* Posterius autem sequenti
Thesi XLIX. hoc modo proponitur: *Ac-
censeo adhuc decimo nono illas singulares assi-
milationes infantum, non quoad parentes, sed
quoad certas effigies pictas humanas, ubi neque
lineamenta primigenia in semine, neque vteri
qualiscunque dispositio, neque alia materialis
ratio et qualitas excogitari et applicari potest.*
**Cum enim rationes quae impediunt, quo
minus**

minus hi effectus animae foetus adscribi possint, iam circa argumentum septimum prolixo, atque sicuti reor, satis perspicue sint enarratae, quid eas denuo inculcare attinet? Et quanquam in eo Vir Cel. suffragantem me sibi facile habeat, materialibus qualitatibus haec omnia adscribi non posse, minime tamen ea propter animae foetus, ob graues rationes, quibus supra dictum argumentum profigauit, ista adscribi possunt. Ut silentio praeteream, in priori ratione difficillimum explicatu esse, qui fit, quod parentes ruffi, claudi, sanos plane atque non male conformatos, et parentes manci mutilique integros interdum producant liberos.

§. XXXIX.

Agmen denique inter argumenta a Viro Cl. proposita claudit vigesimum Thes. L. sequenti modo traditum: *Denique vigesimo singularem considerationem meretur circumstantia haereditariae dispositionis, quae non nititur communione materialis principii, dum propagationes morum et certorum graduum motuum non materiae imprimiqueunt, sed ad energiam principii rationalis mouentis, et iuxta prae- gressum gradum ac statum, cuius adhuc reminiscitur, operantis spectant, quare ex singulis cir-*

E 5

cum-

cumstantiis atque documentis concludo, quod principium formans sit anima rationalis. Quod argumentum dum aliqua veritatis specie se commendat et prae reliquis eminere videtur, doleo Virum Cel. mentem suam non euidentius exposuisse, siquidem non usquequaque assequi possum, quid per praegressum statum et gradum designet, cuius anima adhuc reminiscitur, et iuxta quem motus atque mores haereditarios propagat. Interim tamen si ad reliqua verba attendimus, summam huius argumenti eo puto redire: Haereditariam dispositionem per materiale aliquod principium non introduci, neque materiae foetus imprimi, sed animam foetus energia sua eandem producere, atque sic aperte testari se corporis sui principium esse struens. Verum enim vero quamquam in eo Vir Cel. facile me consentientem habiturus sit, quod dispositio haereditaria tam ad mores quam ad motus non per principium materiale struens communicetur, neutquam tamen ipsi ad stipulari possum, quando autumat, ab anima foetus eandem excitari. Quod enim haereditariam dispositionem ad mores concernit, nunquam demonstratum dabit Vir Cel., eiusdem propagacionem

nem animae foetus adscribendam esse, cum non solum in superioribus abunde sit confirmatum, animam foetus plane ineptam esse, quae ideas eiusmodi recipere queat, sed etiam experientiae testimoniiis luculentis comprobari possit, mores naturales non nisi a temperamento connato dependere, et per hoc demum, si temperamento parentum respondeat, animam ad exercendos mores haereditarios excitari. Ii quippe exferere se tantum obseruantur praesente haereditaria corporis dispositione, manifesto indicio, quod temperamenti conditio nem haereditariam pro causa agnoscant, cum alias si ab anima foetus originaliter proficiscerentur, absente etiam temperamento haereditario locum haberent, quod experientiae tamen penitus repugnat. Quid? quod inde consequeretur, omnes infantes ex eodem thoro prognatos iisdem quibus parentes moribus naturalibus instructos fore, cum anima foetus semper iuxta ideam a parentibus cum ea communicatam operari teneatur, quod autem experientiae aduersari satis superque constat, solideque demonstratum dedit Cel. HESTERVS *Diff. de Partu tredecimestri p.* 28. dum inquit: *Finge homines aliquot iisdem*

pro-

procreatos parentibus, eodem victu, nec diuerso educationis aërisque genere usos, nullis grauioribus ac diuersis animi pathematis turbatos; horum tamen alios ad seueriora animum applicare videbis, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos ire placet, ut Simon ille Terentianus recte pronuntiat: animaduertes alios alacres, et ad quosuis labores subeundos promptissimos; alios autem timidos, segnes, torpidos, ac toto cœlo moribus (quorum fundatum in temperamentis requirendum esse, magnus ille medicinae rationalis instaurator FRID. HOFFMANNVS in Diff. de Temperamento fundamento morum solidissime demonstrauit) inter se distantes. Quemadmodum itaque de morum dispositione haereditaria ex modo dictis manifesto intelligitur, animam foetus huius propagationis causam neutiquam habendam esse; ita pariter euidentissimum est, dispositionem haereditariam non ab anima foetus energia sua in foetum introduci. Quanquam enim propagans causa horum motuum genuina multis sit inuoluta difficultatibus, atque accurate explanari nequeat, id tamen indubitum est, animae foetus hoc officium non posse committi. Quodsi enim ab ipsius energia motus isti penderent, stolida sane foret,

foret, quod eosdem in corpore suo excitatet, cum ineuitabile damnum ab iisdem corpori suo imminere ipsa ignoret. Praeterea infantes ab eiusmodi morbos atque haereditariis morbis afflictis parentibus progeniti, iisdem etiam morbis semper ferent obnoxii, cum tamen quotidiana doceat experientia, saepe eiusmodi liberos inueniri, in quibus nullum plane per vniuersam vitam sese exserit malum haereditarium. Adhaec animae liberorum non nisi parentum morbos haereditarios imprimere corpori suo possent, cum tamen et hic experientia obloquatur atque testetur, idem neutquam semper contingere, sed potius auctorum morbos haereditarios ad corpora nepotum transmitti; vbi ante omnia quaestio excutienda foret, vnde animae nepotum hancce sibi notitiam acquisuerint, cum non ab aucto sed a patre fuerint propagatae. Quae circumstantiae in uniuersum omnes perspicue satis declarant, animam fetus causam dispositionis haereditariae motuum perperam censeri, ideoque exinde immerito quoque colligi, eandem esse corporis sui principium formans.

Sic itaque vidimus, quae nam sint illa
prae-

praesidia, quibus Cl. D. ALBERTI solide suam hypothesin firmasse sibi videtur, et quanquam, si numero farraginem istam metiar, vix dubitandum foret, quin saltem vnum alterumue ita comparatum sit, ut hypotheseos istius veritas firmissime eodem stabilietur: ipsa tamen exactior eorum consideratio planissime significauit, ne unicum quidem tantum habuisse momenti, ut consensum a me aut cordato quoquis lectori extorquere queat. iter Proinde nec a natura rei eadem petita esse adfirmare possum, licet quibusdam, procul dubio ex praeconcepta opinione, ita constituta esse videantur. Et profecto longe satius huic consuluissest Vir Cel. hypothesi, si vnum vel alterum tantum, idque solidum et expeditum ad confirmandam eandem in medium protulisset, quam quod tot incerta atque infirma ratiocinia cumulauit, cum veritas sententiae neutiquam ex argumentorum numero sed eorum pondere aestimandas sit. Tuto itaque in examine argumentorum pro hypothesi allatorum, quorum bene multa discussi, subsistere et acquiescere possem, nisi a Cel. D. ALBERTI praetermissa, aurem mihi vellicarent. Et licet ista non minus quam antecedentia,

Dmns
DANIEL

omni probandi vi destituta sint, studio tamen ea attingenda duxi, ne quis forte refugium in iisdem quaerat, aut ea satis solida esse, sibi persuadeat, eamque ob causam a me dissimulata esse opinetur.

§. XL I.

Inter ea autem de quibus adhuc disserendum mihi erit, primo succurrit illud, quod ab ipso Cel. ST A H L I O *Physiol.* p. 258. yrgetur, quo loco de partium efformandarum ordine agit, et postquam sententiae Aristotelis mentionem antea iniecerat, qui punctum saliens primum in ouulo esse afferit, atque deinde MALPIGHII sententiam subiunxerat, qui armato oculo dispexit, quod cerebrum cum spinali medulla atque nervis hunc primatum sibi vindicet, immediate sequentem ex observatione MALPIGHII desumptam atque elicited annectit conclusionem, dum inquit: *Praebet autem etiam haec ipsa observatio argumentum, quod illud principium, quod in cerebro atque nervis imprimis actionem suam exserit, sit praeses formationis corporis: dum ita illae partes, quae unicum immediatum instrumentum ipsius actionum constituant, hac ratione primo efformatae, verosimillimum reddunt, quod per ipsas aliquid praestari debeat,*

aut ad minimum possit. Ut ut vero splendens satis sit huius argumentationis adparatus, nondum tamen inde efficitur, quod Vir Cel. sibi persuadet, animam videlicet rationalem esse formationis praesidem. Primo enim arenoso nititur illo fundamento, aesi partes quaedam foetus aliis prius efformentur atque elaborentur. Id autem nunquam euictum dabit Vir Cel., cum observationum fide iam euidenter sit comprobatum, primatum hic nullum habere locum, sed omnes partes simul formari atque expandi, prout hoc etiam iam supra §. XXII. afferui, quapropter plane falsa est haec obseruatio, nec argumento esse potest, animam formationis praesidem esse. Et si porro vel maxime eiusmodi partium primatus admitteretur, nondum tamen exploratum est, a cerebro atque nervis istam repetendam esse. Notissimum enim est, quantum ipsi eiusdem fautores inter se inuicem dissentiant. Multi enim cordi honorem illum tribuunt, idque primum viuens dicendum esse statuunt; alii eundem ad cerebrum atque nervos referunt, alii vicissim vasibus illum adscribunt, quod posterius fecit Cel. A LIBERTI Physiol. Cap. 2. de Generat. Thes. 85. Cum itaque ipsis primatus

matus defensoribus nondum perspectum sit, quaenam pars primum elaboratur, facile constat, quam parum firmitatis habeat, quod ex putatio illo cerebri primatu et neruorum deriuatur. Quid? quod si denique 3) concedatur, certum esse atque indubitatum, cerebrum et spinalem medullam vna cum nervis omnium primo generari, nondum tamen inde concludi potest, principium illud, quod in hisce partibus actiuitatem suam exserit, praesidem formationis esse. Quod si enim hinc probabile redderetur, quod tamen vteriori adhuc indiget probatione, praestari aliquid ab iis aut debere aut saltem posse; Inde tamen nondum sequitur, reliquarum partium structuram ab iis peragi et absolui, quippe quod nouis argumentis confirmandum esset, cum et longe alii euidenter obseruentur cerebri et neruorum vsus, et cunctatus vsus nullo indicio se prodat. Multo minus hinc inferri potest, absolui hanc streturam per principium in hisce partibus actiuitatem suam exserens siue per animam rationalem. Manifestum enim est, quod neque omnia hoc principium, partibus illis interuenientibus, exequi possit, quae exequenda sunt, neque quod omnes nervi ad

nutum eius paratisint. Itaque si vel maxime negari non possit, primogenituram cerebro atque nervis assignandam esse, nondum tamen affirmari potest, principium has partes occupans, atque actiones suas ope illarum perficiens, efformationis corporis praesidem esse.

§. XLII.

Infirmius adhuc existit alterum Cel. STAHLII argumentum, quod proxime sequitur, atque his verbis exprimitur: *Praebet autem ulterius documentum, quod per nervos, a principio inquam per nervos agente, structura etiam reliqui corporis et singularum partium eius sensim absoluatur, eadem haec observatio, quod inter prima illa, maxima armati visus conspicua producta, cerebri inquam, spinalis medullae et nervorum rudimenta, statim una compareant duae bullulae, quae cum tempore oculos praebere deprehenduntur.* Qua ratione hinc elici possit, animam rationalem principium esse struens, subiecta verba declarare debent: *Nempe postquam oculi certe praeullo alio sensorio organo, maxima penitus est artificiosissima teneritudo, nemo praeterea optico tam proxime oculus medullae oblongatae cohaeret: inter primas utique structuras hanc ipsam oculi etiam esse,*

esse, simulque ita per principium illud, quod per
neruos operatur, perpetrari, ita quam maxime
verosimile sit. Quando hoc perpendo ar-
gumentum aegre mihi persuadere pos-
sum, Virum Celeb. ex animi sententia hanc-
ce attulisse rationem, cum suam nimis
aperte prodat imbecillitatem. Esto enim
Veritati congruere, quod ex obseruatione
MALPIGHII Vir Celeb. refert, nun-
quam tamen id probabit, ab anima stru-
cturam partium absolui, stupidus enim fo-
ret, qui ideo quod duae bullulae statim
vna compareant, ita vellet sentire. Ne-
que video quodnam robur accedat inde
hypothesi, quod 1) oculi prae ceteris orga-
nis sensoriis maxima penitus sit et artificio-
sissima teneritudo et 2) neruo optico tam
proxime oculus medullae cohaereat, cum
nullatenus inde ne quidem verosimile fiat,
inter primas structuras hanc ipsam oculi
structuram esse, siquidem potius arbitran-
dum, quod si talis succedanea formatio lo-
cum obtineret, longe citius illas formatum
iri partes, quae ad vitam maxime sunt ne-
cessariae, quam eas, quarum tanta tunc
temporis saltem non est necessitas, ut sunt
oculi, licet istis partibus sint teneriores.
Multo minus inde fluit, a principio, quod

F 2 per

per neruos operatur, formationem pendere. Sed non vacat vano huic argumen-
to diutius immorari, cum ipsius sterilitas
omnium facile oculis et animis se ingerat.

§. XLIII.

Denique adhuc tertio probationis, qua
NENTERVS vtitur, mentio fieri debet. Supra plus simplici vice iam com-
memoratum est atque demonstratum, fœ-
tus partes omnes a tempore conceptionis
praesentes iam adesse. Quod cum non
adeo incertum **NENTERO** videatur,
facile, vim corpus struendi animae adsigna-
tam hoc ipso vacillare imo prorsus destrui,
praeuidet. Quo igitur hypothesi, quam-
mente praeconcepit, scilicet animam in ne-
gotio generationis esse occupatam, suc-
currat nutanti, nutritionem atque aug-
mentationem animae adscribere non vere-
tur. Ut autem illud euictum reddat, se-
quentem *Physiol. Cap. XI. Membr. I. §. 12.* af-
fert rationem: *Haec, inquit, ouulo infusa*
animae fœtus format, aut si iuxta plurimorum
sententiam omnes partes iam formatae sunt,
easdem nutrit, ut augeri et conspici queant.
Quod autem anima fœtus corpus suum nutri-
at, apparet potissimum ex ouis a Gallo Gallina-
ceo impregnatis, quamprimum enim calor ex-

ter.

ternus accedit, siue is a gallinis tam nostratis, quam Indicis, siue a furnis proueniat, principium illud actuum statim nutrit et struit corpus suum, cum e contra ouis non impregnatis, etiamsi quandiu gallinis subdantur, aut calori exponantur, loco pulli putridum liquamen prodeat, adeo ut ex hoc ipso appareat, calorem externum siue incubatum aliquo modo promouere quidem pulli formationem, principium tamen actuum ouo inexistentis, veram formationis et nutritionis pulli esse causam. Si ergo principium mouens siue anima pullorum potentiam struendi et nutriendi corpus suum habet, necessario quoque eadem vis animae humanae tanquam excellentiori principio concedi deberet. Sed quis sua sponte non intelligit, laborare hoc argumentum petitione principii? Verum equidem est, calorem externum non sufficere, ut pullus excludatur, sed necessarium omnino deprehenditur, ut spermatis galli accessu ouulo motus primum impri matur, qui deinde, necessario calore intercepto, ad tempus quidem quodammodo supprimitur, sed tamen, quando per externum calorem ouum iterum fouetur, rursus continuatur. Verum enim vero ex eo, quod, quamprimum calor externus ouis impregnatis adiungitur, nutritio et

iam ulterius perficiatur, nunquam demonstrabit Autor, principium actuum siue animam rationalem nutrire, licet supponat, quod probare debet. Quandoquidem id vnicce tantum indicat, quod impregnatio necessario debuerit antecedere, si per calorem externum nutritio continuanda, qua omessa ex ovis subuentaneis nullus emergit pullus. Ut itaque tota diuersitas successus in ovis, vti ex ipsis Autoris verbis patet, lateat in praegressa vel omissa impregnatione, non autem in praesentia vel absentia principii rationalis nutrientis, quam nunquam etiam Autor perficiet. Nullum itaque praesidium hypothesis Cel. S T A H L ab hoc argumento exspectare poterit, ipseque haud immerito assero, animae nullam struendi corpus facultatem competere, eiusque in negotio generationis perficiendo nullam plane vim esse et efficaciam.

CAPVT

C A P V T II.

D E

A N I M A E R A T I O N A L I S M O -
T V S V I T A L E S I N S T A T V
S A N O A D M I N I S T R A N D I
P O T E N T I A .

S. I.

E X quo HARVEI incomparabilis alio-
rumque celeberrimorum Virorum in-
defesso studio genuina partium interna-
rum corporis humani natura atque condi-
tio, nec minus vera earundem operatio
egregie detecta, omniumque oculis clare
fuit exposita, non leuia inde commoda nec
exigui fructus in vniuersam redundarunt
artem medicam. Hisce enim accuratius
erutis, nemini amplius obscurum esse po-
tuit, a continuo sanguinis atque reliquo-
rum humorum cursu solidarum partium
motu agitato, non solum veram vitae no-
strae conditionem, sed et tam fani, quam
morbosi status rationem vnice petendam
esse. Quamdiu enim iste in corpore no-
stro viget, hoc ab interitu, ad quem pro-
cliue est, immune praestatur, atque durat,
et quousque ille legitime sese habet atque

F 4

rite

rite decurrit, tamdu machina corporis
sarta tecta que manet ab omnibus afflictio-
nibus liberata. Contra horum motu aut
turbato aut plane intercepto morbi non so-
lum imminent, sed ipsa etiam mors adpro-
pinquat, vitaeque stadium claudit. Quan-
quam autem nonsolum modo dictae aliae-
que numero haud paucae veritates ope
horum inuentorum erutae sint atque de-
tectae, sed et veterum falsae opiniones ex-
plosae, et tanquam inutiles reiectae sint,
horum tamen virorum cura omnes cir-
cumstantiae adeo perspicuae reddi non-
dum potuere, quin dubiis atque dissidiis
materia fuerit relicta. Exemplo esse
potest controuersia illa notissima, quae ad-
huc hodie magna agitur contentione de
principio siue causa has partes mouente,
earundemque operationes instituente at-
que dirigente. Ea enim non obstante
haud superficiaria de partibus istis earun-
demque effectibus notitia, nouissimis tem-
poribus tanto impetu disceptata est, vt si
anteriora secula cum nostro confero, non
longe maior solum diuersarum sententia-
rum numerus in scenam produktus, sed et
multo vehementiori cum feroore de hoc
principio contentionis serra fuerit recipro-
cata.

§. II.

§. II.

Haud arduum equidem foret in modo dictorum vberiorem confirmationem omnium harum hypothesisum fata et indolem prolixe persequi, si instituti ratio patetur, vt in controversiarum de principio mouente et quae cum his cohaerent, historiam excurrerem. At enim vero cum vnice mihi constitutum sit, sententiam istam excutere, quae hodie caput extollere videtur, quamque prae ceteris ornandam sibi sumit Cel. ST A H L I V S, vna cum aliis qui ipsius hypothesisibus delestantur, atque hinc, quae dixi, satis intelligantur, reliquorum momentorum studiose praetermitto enarrationem, qua praeterea eo facilius supersedere possum, cum a variis Autoribus eadem iam luculenter sint reconsita, inter quos vnum memorasse sufficiat NENTERV M, qui ea non indicavit solum, sed et examinavit *Physiol. Cap. III.* Quod autem Cel. ST AHL II et reliquorum, qui ipsius vestigia signare gloriae sibi ducunt, attinet hypothesis, arbitrari eos contestatum est, animam rationalem principium esse siue causam omnium illorum motuum, quos Medici Vitales vocant. Inculcat id ipse non solum Cel. ST AHLIVS

F 5

variis

variis in locis vti *Physiol.* p. 17. 18. de vera diversitate mixti et viui p. 71. *Diss. de motu tonico vitali* p. 51. sed et Cel. ALBERTI *Physiol. Cap. II. de Natura*; *Specimin. Med. Theol.* p. 95. seqq. nec non COSCHWITIVS, NENTERVS aliique idem sentiunt. Ab hac enim, vti aiunt, instituitur pulsus cordis vid. Cel. STAHL. *Physiol.* p. 56. ab eadem dependent secretiones atque excretiones quae in corpore nostro obveniunt, vid. Cel. STAHLII *Diss. de Autocratia Naturae Cap. I.* ista administrat nutritionem, vid. Cel. STAHLII *Physiol.* p. 218. imo omnes absoluunt motus, quotquot in vitali negotio occurunt, et quanquam non cum ratione agat, interim tamen non irrationaliter procedit, vti afferit Cl. ALBERTI *Physiol. Cap. I. thef. LV.* Haec autem omnia tam indubie soli animae adscribenda esse, vt ille conscientiam suam laedat, qui contrariam tueri conatur sententiam, vid. Cel. ALBERTI *Specim. Med. Theol.* p. 100.

§. III.

Tametsi vero haec omnia, quae de animae rationalis laudata operandi facultate hactenus adduxi, facile dicantur, eorumque, qui vel in superficiaria cognitione subsistunt,

sistunt, vel animae vim in corpus huma-
num, minus accurate habent exploratam,
haud aegre forte impetrent assensum.
Neutquam tamen omnibus propterea in
vniuersum ita se probant, ut ista tam prom-
te admittant, sibique persuaderi patientur,
quandoquidem non fidem solum omnem
excedere, sed et experientiae prorsus re-
pugnare videntur. Interea tamen cum
tam a Cel. ST AHLIO quam ipsius
sectatoribus variae rationes in medium fue-
rint prolatae, quibus veritatem huius hy-
potheseos certam atque indubiam reddi
posse opinantur, operae pretium duxi ea-
dem ratione, quemadmodum priori capite
feci, in veritatem earundem inquirere, quo
omnibus constet, tutiusne agant, qui op-
inionem istam commendant et amplectun-
tur, an qui eidem assentiri et subscribere de-
trectant? Non male etiam me facturum
ratus sum, si denuo ducem sequerer Cel.
ALBERTI, qui rationes huius hypo-
theses tam a Cel. ST AHLIO, quam
aliis productas, diligenter collegit, longa-
que serie *Physiol. Cap. I. thes. LVIII. seqq.* re-
citauit. Hisce enim rite perlustratis me
effecturum puto, ut quid de vniuersa ista
hy-

hypothesi existimandum sit, nemo non
leui opera peruidere queat.

§. IV.

Chorum inter rationes, quibus animae rationalis in operationes vitales imperium adstruitur, dicit illa, quae a motus, tanquam causae per quam anima operatur, indole deriuatur. Hic scilicet quoad essentiam incorporeus esse creditur, adeoque aliunde proficiisci non posse statuitur, quam ab anima rationali. Citra ambages hoc eloquitur Cl. ALBERTI, quando c. l. thes. LVIII. ita pronuntiat : *Prima harum rationum fluit ex indole motus, tanquam illius causae mediatae, per quam illud principium, quod natura dicitur, corpus suum afficere, regere, viuiscare, et a dannis et periculis vindicare debet, Thes. LIX.* Hic motus vero est, quoad essentiam suam incorporeus, veluti actus cuius causa efficiens de effectu, et vice versa effectus de sua causa testari debet, unde sequitur, primam huius motus causam non aliam esse, quam incorporem, qualem in corpore humano non aliam deprehendimus inesse, quam animam rationalem. Afferit idem etiam Celeber. STAHLIVS Sciamach. p. 191. Schediasme de vera diuersitate corporis mixti et vivi. p. 72. nec non de Mechanismi et Organismi diuersitate

tate p. 43. Atque hoc tam certum esse Cel. ALBERTI autumat, vt ad superstitionem medicam referre non dubitet, si quis aliter sentiat. vid. eiusd. *Spec. Med. Theol.*

p. 162. Verum enim vero licet superstitioni nullo modo locum concedam, neque adeo sim credulus, vt spreta omni ratione, cuidam sententiae pertinacius inhaeream, nihilotamen minus vt huic Cel. Virorum sententiae adstipuler, multa prohibent. Primo enim tam varia tradunt de motu, eundemque tam diuersimode describunt, vt ipsi, quid sentiant, ignorare videantur. Modo enim motus ipsis quoad essentiam incorporeus vel immaterialis esse dicitur, vti iam obseruatum est, et Cel. etiam ALBERTI scribit in *den Medic. und Philos. Schriften*, p. 43. et 53. Modo ille audit proprius progressus ab uno puncto physico ad aliud vid. Cel. ALBERTI *scriptis cit.* p. 43. Alia vice dicitur esse aetus simpliciter consideratus, vid. Cel. ALBERTI *Physiol.* p. 56. Porro vocatur incorporeum quid, et tamen aliquid reale, quod non per se subsistit, neque propterea sensu physico sumtum substantia est, quia a causa movente prouenit, neque nudum accidentis est, sicuti respectu causae superioris accidens

dens esse non potest, cum sit essentialis ipsius qualitas; interim tamen dantur motus in abstracto et quidem reales veri et in existentia sua indubii et confessi, vid. Cel. ALBERTI *Physiol.* p. 57. Cel. STAHLIUS *Sciamach.* p. 96. seqq. Imo datur motus sine materia, vid. Cel. ALBERTI *Med. und Philos. Schriften,* p. 380. Ex quibus specimenibus satis apparet quam pugnantia Viri Clarissimi, dum in eo elaborant, ut motus immaterialitatem tueantur, proferrunt, quamque fibimet ipsis aduersentur. Nemo enim facile inter se conciliauerit asserta illa, motum esse incorporeum et aliquid reale, existere sine materia, in abstracto, attamen non esse substantiam, neque accidens, non per se subsistere. Quisquis enim ex his tricis feliciter eluctari voluerit, oedipo indiget, qui ista oenigmata resoluat. 2) Si dicendum quod res est, citra omnem rationem asseritur, motum esse in essentia incorporeum, quippe quod genuinum Cel. STAHLII & Asseclarum de motu existit dogma. Haud inuitus equidem concessero, motum salua corporis essentia et abesse et adesse posse, neque esse ipsam materiam sed aliquid a materia distinctum. Ea propter tamen minime aliquid

quid incorporei existit, aut uti Cl. STAHL.
 LIVS *Sciamach.* p. 98. et 191. loquitur, ens
 incorporeum. Quodsi enim hoc asser-
 tum veritati responderet, quid obstaret,
 quo minus de omnibus materiae adsectio-
 nibus affirmari posset, easdem esse entia
 immaterialia? nihil certe prohiberet, quo
 minus humiditas atque siccitas, calor et
 frigus, dulce et amarum, aliaeque proprie-
 tates, quae corporibus competunt, entia
 immaterialia dici possent, quandoquidem
 a corporibus abesse et adesse possunt, ne-
 que sunt ipsa corpora sed aliquid ab iisdem
 distinctum. Fore autem quemquam
 qui ita rationes subducat, non immerito du-
 bito. Arbitratur equidem Cel. STAHL.
 LIVS, eo ipso, dum admittitur, motum
 non esse materiam ipsam, sed aliquid a ma-
 teria distinctum, motus immaterialitatem
 etiam largiendam esse, dum *Sciamach.* p. 101.
 inquit: *Quamuis autem hic vulgo haesitent et
 tergiuersentur dicere, quod ita motus sit aliquid
 immateriale, nihil tamen ita lucrantur, cum
 iam diserte dixerint, quod sit aliquid a materia
 distinctum, i. e. non sit materia: ast quilibet
 me non monente faciliter perspicit,
 adeo infirmam esse hanc conclusionem,
 quicquid non est materia illud est ens in-*

cor.

corporeum, ut a tam subiecti iudicij Viro
vix ac ne vix quidem exspectari potuerit.
Quandoquidem notissimum quod praeter
substantiam etiam dentur accidentia, de
quibus tamen cum non sint ipsa materia,
minime dici potest, quod sint Spiritus. 3)
Omni destitutum est experientia, dari mo-
tum in abstracto realem in existentia sua
indubium, sineque materia, quandoquidem
nullo constat documento, eiusmodi mo-
tum dari in rerum natura, qui per se subsi-
stit, neque cum aliqua substantia est con-
iunctus; id quod ipsi neutquam abnuere
possunt, quando afferunt, motum physice
sumendo non esse substantiam, adeoque
suam ipsi hypothesin plane destruunt.
Tamen si vero motus illis etiam nudum ac-
cidens non sit, ideoque forte eiusmodi
quid, cuius genuinam indolem ipsimet de-
terminare nesciunt, ipsi tamen sibi repug-
nant, sententiaeque huic vim inferunt,
quando eum causae superioris essentiali-
qualitatem dicunt, siquidem nemo quali-
tatem aliud quid esse affirmabit, nisi me-
rum accidens, siue illa ceteroquin essentia-
lis siue extraessentialis sit. Et quando
praeterea actum eundem vocant, quid eo
aliud innuunt, quam ipsum accidens esse,

cum

cum actum sine agente, tanquam subiecto cui inest, seu a quo proficiscitur, nemo facile affirmauerit. Ex quibus omnibus haud difficulter adparet, quam lubrico nitatur fundamento ipsorum opinio, motum in essentia sua esse incorporeum, adeoque immediatam motus causam non nisi spiritum esse, qualis in humano corpore anima rationalis existit. Idem 4) adhuc magis manifestum euadit, quando perpendo, tot fieri motus in corporibus, in quibus causam immateriale supponere, eique motum huncce tribuere, ridiculum fore, sanaeque rationi aduersum. Qua in re omnes, spero, facile consentientes habebo, quando ad speciales casus descendero. Nemo enim aquam molendinas impellentem ens dicet immateriale, licet illa huius motus causa sit immediata: neque quisquam reperietur, qui dislosionem pulueris pyri tanto cum fragore factam enti cuidam immateriali pulueri pyrio insito adscribat, quae ab ipsa pulueris substantia eiusdemque actiuitate immediate dependet; multo minus erit, qui fermentationem liquorum ut cereuisiae et aliorum ab ente incorporeo proficisci asseruerit, quam a fermento adiecto immediate ortum tra-

nspurci

G

here,

here, vel rusticus nouit simplicissimus. Pari modo nec fluxum et refluxum maris, nec motum Siderum cœlestium, nec eruptionem materiae igneae e montibus igniuomis ad ens immateriale tanquam uniam motus causam serio retulerit. Et quid tandem de motibus in corpore humano mortuo occurrentibus sentiendum foret, quos GARMANNVS Miracula mortuorum vocat? quorum exemplum nouum et memorabile haud ita pridem exposui in *Diss. Epistol. ad Cel. HEISTERVM de singulari expansione tunicarum utriusque oculi in fure Gustrouii MDCCXXVI. suspenso facta*; anno 1729. a me publicata, quales etiam suppeditant cruentationes cadauerum, eorundemque haemorrhagiae. *Quis etenim sanae mentis productionem horum phænomenorum animae adscriperit rationali?* Vix ac ne vix quidem persuadere mihi possum, eo quemquam posse dilabi, cum ipsa mors excludat animae praesentiam. Et quanquam Cel. HVLDERICVS PELARGIVS obseruat. *Clinic. ad Annum 1723. p. 377.* in istam sententiam propendere videatur, nolo tamen, cum mentem suam non satis perspicue declarauerit, hanc ipsi firmiter adscribere, aut priusquam

usquam pro suo adgnouerit, Cel. Viro imputare, quod Animam rationalem sub Agentis illius nomine, cuius mentionem facit, intelligat; licet ex circumstantiis id colligi posse videatur. Ex omnibus itaque hisce rationibus non inepte concludi posse reor, motum neque ens esse, neque ente non nisi immateriali, a quo instituatur, quale in humano corpore est anima, indigere, tandemque inane esse, quod a motus indole desumitur argumentum, quo efficiatur, ab anima rationali motus peragi vitales. Missum etiam nunc facere possem praesens argumentum, nisi hoc vnum monendum adhuc foret, quod, licet ex adductis argumentis liquido dilucescat, motum a rebus materialibus omnino posse institui, neutquam in ea verser sententia, quod motus quoad essentiam suam sit materialis, cum enim motus non sit substantia non magis materialitas quam immaterialitas de eodem simpliciter praedicari potest. Atque hoc adducere necessarium iudicaui, ne iustum incurram reprehensionem, qua Cl. ALBERTI *Spec. Med. Theol. c. l.* eos exceptit, qui materialitatem motus uti scribit, defendunt.

§. V.

Accedamus iam ad secundam rationem. Haec, inquit Vir Cl. thes. LXI. *petita est ex ipsis animae rationalis generica capacitate, quae recte vocatur Energia, quae consistit in operatione, seu quod animae rationalis principalior habilitas consistat in exercitio motuum, et quod ipsa sit principium ἐνέργειας.* Vnde concludo corpus animale, si viuum esse debet, motu indiget, natura vero dicitur principium motus in animali corpore; inest vero corpori anima rationalis, cuius superior et plane essentialis capacitas est, quod moueat, unde hanc praerogante et eminente iure naturae titulum tenere assero. Atque sic Vir Cel. arbitratur, animae rationali omnino competere ius administrandi motus vitales, cum ipsis principalior habilitas consistat in exercitio motuum, idemque sit superior et plane essentialis eiusdem capacitas. Verum enim vero asseritur id a Cel. Viro quidem, atque a Cel. STAHLIO repetitur, qui *Physiol.* p. 252. inquit: *Cum animae essentia, quantum in sensum cadit, in actiuitate motoria maxime consistat.* Sed nullibi probatur, idoneisque rationibus confirmatur. Cum igitur rationis atque experientiae ope indubie sit exploratum, animae principaliorum

rem atque superiorē habilitatē in facultate intelligendi atque volendi consistere, neutquam hoc assertum admittere possum. Quod si etiam vel maxime sententiae huic indubia constaret veritas, quilibet tamen haud difficulter adgnoscit, inde nondum sequi, ab anima motus vitales administrari. Nam habilitas atque capacitas animae, eo quod principalior, superior, et plane essentialis ipsi sit, non efficit, ut ideo motus vitales ipsi subiaceant, quandoquidem hoc non obstante ab alia causa possunt institui, prout etiam actu contingit, citra quod anima requiratur, vnde manifesta committitur petitio principii, donec ulterius et solidius probetur, quod anima circa actus vitales sit actiua, aut ex eius habilitate principaliori id necessario fluat. Adhaec ipsi Viri Doctissimi nondum inter se conueniunt, quod capacitas mouendi sit principalior animae habilitas. Sic enim ipse Cel. STAHLIVS Sciamach. p. 84. affirmat; quod prima essentialis operatio animae sit, rationem habere et exercere, secunda essentialis operatio animae sit, velle secundum rationem, et tertia essentialis operatio animae sit perseQUI, et omni conatu exequi voluntatem, et finem petitum impetrare, nec minus c. l.

p. 198. pronuntiat: *anima humana praedita est, quatenus humana, exquisita intelligendi facultate, generalius autem quatenus anima actiue mouendi energia.* Quodsi itaque rationem habere prima animae humanae sit operatio, et eidem exquisite intelligendi facultas, nisi quatenus humana est, competit; manifestum est, nondum euictum esse, quod animae humanae principalior habilitas atque superior capacitas consistat in exercitio motuum. Vnde cum haec supposita principalior habilitas motuum manifesta laboret petitione principii, nec si admittatur, ex eadem animae facultas motus vitales instituendi, vlla ratione derivari queat, satis euidens esse credo, infirmius esse hoc argumentum, quam ut eo confirmari possit hypothesis, animam rationalem esse principium vitale.

§. VI.

Progredior iam ad tertium argumentum, cuius Vir Cl. meminit thes. LXIV. atque sic effert: *Tertia ratio commendat horum motuum vitalium fines sive scopos, qui non sunt alii, quam vita et sanitas, ratio vero et forma finium non fluit ex affectionibus corporis sed principii rationalis.* Ast licet speciosum satis hoc argumentum videatur, neque pror-

prorsus reiiciendum, penitus tamen si consideratur, hypothesis haec, animam nimirum rationalem vitae atque sanitati praesse, nil quicquam indelucratur. Quamuis enim negari non possit, motus vitales ideo institui, ut corpus humanum viuum maneat atque sanum, horumque finium rationes originaliter, simpliciter et ultimato ex affectionibus corporis non fluere; inde nondum tamen efficitur, animam rationalem immediate ad fines istos concurrere, siquidem ipsa corporis nostri consideratio manifesto arguit, quod a sapientissimo Numine ita partes semel sint dispositae, ut debitos in corpore absoluere queant motus, atque ab Ente summo ita praeparatae, coordinatae et adoptatae, ut ad fines praestitutos, vitam nimirum atque sanitatem obtinendos sufficient, citra quod immedio principium rationale partes hasce dirigen Praeterea requiratur. Perspicue et solide haec exposuit Experient. Dn. D. BVRCHARDVS Med. D. et Prof. in Alma nostra Varniaca famigeratissimus, Fautor non sine honoris mentione nominandus, *Dissert. de Natura et in specie humana*, quando Cap. II. §. 19. inquit: *Non sequitur omnem motum, qui propter certum finem in-*

stituitur, pendere ab ente rationali ac immateriali, immediate scil. Nam Deus ipse, sicut corpora omnia in certum finem condidit, sic etiam eorum conformatiōnēm ita ordinavit, ac tam sapienter ipsis prospexit, ut finis iste ex necessitate sive ex legibus naturalibus consequatur; ita ut necesse non sit, ipsis corporibus spiritum quendam immateriale affingere, qui suo arbitrio motus istos ad finem dirigat. Nec minus egregie haec illustrant, quae Cel. IO. ADOLPH. WEDELIVS Diss. de Principio Vitali Ien. 1721. habita §. VIII. tradidit dicendo: Verum, id quidem perpetuum est, tales motus ad finem certum operantes agnoscere principium rationale, sed minime semper tale, quod ipsum motum praeſtat, vel præsens dirigit, saepe enim sufficit eiusmodi, quod corpora mouentia nullam rationem habentia ita iunxit et disposuit, ut fini aptum motum edant, quem et continuant, absente licet principio rationali. Testantur id machinae variij generis ut horologia, molae et centum aliae, in quibus omnibus motus ad certos fines operantur, imo et ratione gradus, loci et ordinis. Igitur nec ex hac ratione probari potest, mentem motus corporis efficere laudatos.

§. VII.

Iungo hisce quartam rationem, quae prior-

priorem non solum confirmare, sed insimul,
quae contra eandem a me excepta sunt, in-
fringere videtur, quam Vir Cl. thes. LXVII.
tradit, atque ita se habet: Quarto indicat
adhuc ipsa constitutio corporis animalis, quae
certa dispositione mechanica praedita est, se-
cundum quam corpus se ipsum ita ut decet, mo-
uere non potest, neque etiam per aliquam neces-
sitatem debet, sed ut instrumentum a causa al-
tiori et digniori assumi et regi debet, et quidem
tali cui inest notitia de suo corpore in genere, et
hac eius mechanica dispositione seorsim. Ma-
gnopere hanc rationem nonsolum vrgent
Viri Celeberrimi eandemque in scriptis su-
is saepius inculcant, sicuti illam proponit
Cel. STAHLIVS Sciamach. p. 88. et
89. afferendo, quod corpus nullum habeat
proprium insitum ipsi ut machinae corpo-
reae siue necessario datum, siue vlo respe-
ctu dandum motum, nec minus Cel. AL-
BERTI mentionem ipsius facit in den
Medic. und Philos. Schrifften, p. 388. seqq.
p. 446. seqq. p. 466. seqq. vt et Diss. de sensu
unum internorum usu in oeconomia vitali §. VI.
p. 18. sed et rationibus variis eandem con-
firmare student. Sic enim Cel. STAHLIVS
autumat, lactis ad mammas trans-
missionem positivae prudentiae nomine fieri, ut

ita infanti in lucem edito conuenienti alimento consulatur per conspirantes inter se vias easdem per quas in ipso utero eidem consultum fuerat, vid. eiusd. Physiol. p. 126. Pariter concitatiorem et vehementiorem cordis motum non tantum ad unicam horam, sed ad 8. 10. et plures dies ad specialissimos fines directum, non ex machina prodire existimat Cel. ALBERTI in den Med. und Philos. Schriften, pag. 467; ita etiam indicat Vir Cel. c. l. p. 472. quod concoctionis actus pro materia suppeditata non ex machinae energia intendi, ad certum tempus ita et non aliter seruari, aut indifferenti tempore suscitari, certis occasionibus adstrictus esse debeat, ut certis temporibus cibi concoctio, promoto, et translatio extra ventriculum exerceatur: *Quis enim unquam ex principiis mechanicis deducere poterit imbecillitatem et tarditatem concoctionis dum intensius anima vires suas applicat ad moralia negotia.* Nec minus impotentiam mechanicae structurae euincere nutritionem proportionatam tam quoad materiam nutrientem quam partem nutritiendam adfirmat, et Cel. STAHLIVS Tr. de vera diuersitate mixti et viui p. 16. asserit. Et quae sunt huius generis alia, quae clare confirmare ipsis videntur, corpus per dispositionem suam mechanicam ad

ad motus debitos praestandos plane ineptam esse.

§. VIII.

Verum enim vero quanquam haec omnia satis prolixè commemorata credulos facile confundere possint lectores, ipsis ut assensum praebeant, minime tamen tantis sunt ponderis, ut solide demonstrent animam rationalem in administrandis motibus vitalibus elaborare. Falsum enim est, omnique experientiae contrariatur, quod corpus secundum dispositionem mechanicam se ipsum ita ut decet mouere non possit, et quod vitales motus a partibus dispositione mechanica praeditis solitarie proficiunt nequeant. I) enim ipsi fatentur, confessaria, quae a pulsu cordis et tono partium proueniunt, v. g. partium debitam extensionem, sanguinis circulum et eiusdem fluxilitatem, nec non compressionem et appulsionem ad alia loca, sine concursum particularis directorii considerata, omnino mechanica ratione fieri, imo mechanicae rationis esse, quod sanguis crassus et spissus fortiori attritione, concussione et diuulsione fluxilis euadat, vid. Cel. ALBERTI Med. und Philos. Schriften, p. 471. et 472. Quo asserto ipsimet suam thesin vniuersaliter

liter conceptam, quod nulli motus in humano corpore a solo mechanismo deriuari possint, euertunt, et sibimet ipsis contradicunt. Quod autem 2) partes mechanica ratione constructae propria virtute omnes vitales motus sine animae rationalis concursu absoluere possint, fibris, ex quibus conflatae sunt, tribuendum est, quippe quae insita vi se contrahendi instructae sunt, cuius ope a fluidis alluentibus expansae, sponte ad naturalem statum redunt, eoque fluida propellunt, atque omnes motus partium vitalium perficiunt. Esse autem fibris istam virtutem insitam, varia exempla tam in viuentium corporibus quam in mortuorum cadaueribus luculenter monstrant. Nemo enim erit, qui ignorat, in transuersum dissectam arteriam haud ita multo post sponte sua valde se contrahere. Experiuntur enim hoc satis superque chirurgi, quando earundem lassionibus mederi debent, et sub ipsis artuum amputationibus deprehendunt, intra breuissimum saepe temporis interuallum ita eas sese contrahere atque intra musculos abscondere, ut ligatura sistenda haemorrhagiae inferuitura nullo modo applicari possit. Pariter notissimum est, destru-

structo musculo antagonista, alterum sua sponte ita sese corrugare, ut membrum, cui adstrictus est, penitus sese contrahat, neque, omni licet adhibita opera, rursus extendi queat. Nonne idem prodit panniculi carnosí in animalibus recenter mortatis dissectio, qua a lanionibus facta, fibrae ipsius musculares protinus a se inuicem discedunt, ut, quae antea sibi inuicem arctius iunctae erant, duorum triumue digitorum interuallo tum disiunctae deprehendantur. Ut taceam, carnem animalium annosiorum inter coquendum semper fortius congregari, quod vel ancillae in culina norunt. Ut itaque nullum super sit dubium, fibris propriis se contraheandi eoque fluida promouendi inesse robur, sicque mechanicam partium structuram omnino aptissimam esse, ut propria actiuitate motus vitales administret. Quae cum sua radiant luce, non video, quomodo insitam corporis mechanice constituti virtutem, ut decet, se ipsum mouendi labefactare possit obiectio illa, quam B. COSCHWITZIVS Physiol. p. 83. affert: *Quod tamen, inquit, assertum sponte corruit, si modo consideretur, corpus demortuum, in quo totus manet mechanismus, ita ut optima connexio ipsi-*

XIO HYPOTHESES STAHL EXAMEN

ipsius, eaque plane intemerata, sub dissectione
cadaveris saepissime demonstrari possit, et qui-
dem praecipue in illis, qui non a praegresso
morbo sed vel morte violenta, sine ulla tamen
continuitatis laesione, vel repentina, ex animi
affectu vehementiore, extincti sunt, nec non in
infantibus sub ipso partu extincti. In eius-
modi inquam casibus machina est quoad structu-
ram intemerata atque illaesa, humores quoque
per machinam et in machina hydraulico-pneu-
matica mouendi praesto sunt, neque statim in
momento coagulati, sed satis diu adhuc fluxi-
les, et tamen nullus in corpore fit motus, nulla
sentitur vena, licet causae instrumentales omni-
no adsint: luculentissimo testimonio, primam et
efficientem omnium illorum motuum causam de-
ficere, respectu cuius tanquam actiuae, reliquae
omnes passiue solum sese habent. Nemo
credo Mechanicorum unquam asseruerit,
atque asserere poterit, solum mechanici-
num sufficere, nihilque ad vitales actiones
praestandas requiri, quam ut partes
mechanice sint dispositae. Quodsi enim
ita sentirent, recte haec obiectio opponi il-
lis posset. Sed contestatum est, omnes,
qui ex fundamentis mechanicis rationem
vitae explicare adgrediuntur, non diffiteri,
motum in partibus istis mechanicis omni-

no

no adesse debere, eiusdemque cum ma-
china combinatione necessario opus esse,
cum alias, ne corpore quidem artificiofis-
sime constructo, perfici quid posset. Vn-
de magna sane inter corpus viuum et mor-
tuum intercedit differentia. Nam quan-
do corpus mortuum est, partium mecha-
nicarum elasticitas et vis insita mouendi
intercepta est, eiusque priuatio efficit, vt
licet post mortem aliquamdiu mechani-
smus integer adhuc persistat, nullus tamen
effectus sequatur, et cum illa partibus de-
nuo imprimi nequeat, vita etiam restitui
cadaueri non possit. Quare ex cadauere
colligi non potest, nullam corpori viuo
mechanice dispositio insitam esse virtutem
sua sponte se mouendi, sed id vnum inde
fluit, quod mechanicae dispositionis par-
tium sine earundem motu nulla vis sit,
quemadmodum etiam recte Vir Cel. ob-
seruat, quod autem neutiquam hoc loco in
disceptionem venit, neque a quopiam,
quod sciam, asseritur. Quodsi 3) ad ipsas
machinas artificiales respicimus, quomodo
illae ope mechanicae suae structurae sine
vlo quodam ente intelligente solo impulsu
penduli ponderis aut laminae chalibae vel
alterius causae suas operationes vnice ab-
sol-

soluunt, non est quod ad ens quoddam intelligens, motus nostros vitales dirigens, confugiamus. Sunt enim illae saepe adeo eximiae, atque tam admirabiles vi structae suae edunt effectus, ut primo adspectu non ex mechanica earundem structura, sed ab insito spiritu eos proficiisci iurares, prout hoc ostendunt exempla a Celeber. BRAND. MEIBOMIO *Diss. de Anima ad restituendam sanitatem impotentia* §. VII. recitata. Evidem non ignoro, varia aduersus hanc rationem a Viris clarissimis excipi, verum cum nullius ferme sint momenti, nihil etiam eidem derogabunt. Potissimum autem ad alterationes in motibus vitalibus occurrentes se recipiunt, in quibus nescio quam clauam herculeam, qua rationem citatam contundant et prosternant, sibi inuenisse videntur. Sic enim Illustr. STAHLIVS *Diss. de mortis Theoria medica* p. 15. inquit: *Neque etiam hoc loco prolixè tractare placet illam quaestionem, quomodo animi pathemata etiam levissima motuum vitalium plane principes, ita friuole et ineuitabiliter turbare soleant, si tamen illi mere corporeae mechanicae necessitatis statuantur.* Sane enim nos quidem non perspicimus neruum horum argumentorum, quod

quod negotium conseruandi corporis sive vitale,
rum structurae et naturae corporeae proportio-
ni organorum sive machinarum, tum spirituum
mouentium energiae ab ipso Creatore benedi-
cto ita immutabiliter impressum sit, ut illud in-
violatum, et absolute conseruare et sequi necesse
habeant, et ipsi in se nihil huius suae destinatio-
nis mutare valeant; Et tamen nihilominus
anima his rebus de reliquo ex hypothesi absolute
nihil immixta, quolibet friuolo, fortuito, inepti-
fimo transitorio et pure abstractuo sive immate-
riali conceptu huiusmodi haec omnia certissime,
praesentissime, inseparabiliter imo non raro
grauissime seu insuperabiliter turbare valeat,
nemine contradicente. Nec minus asserit
Cel. ALBERTI Medic. und Philosoph.
Schriften, pag. 448. Firmum est argumen-
tum: si Machina quaedam in motibus suis alte-
rari, i. e. aliter procedere, actuari et promoueri
potest circa sui detrimentum aut nocumentum,
sequitur, quod tunc directio mechanismi non de-
pendeat a materiali configuratione, quae per-
petuo ob necessitatem materiae uniformem mo-
tum postulat, sed quod ab alijsri causa, quae de
Machina et motu huic Machinae imprimento
sufficientem et dignam habet notitiam, petenda
veniat: quod vero machina corporis animalis
aliter procedere possit et soleat (quod circa ma-

chimae absolute talis qualitatem est) videntur in pathematis animi et seorsim quidem in momentanea alteratione motus et pulsus cordis, in fortiori euacuatione per diarrhaeas criticas aut certis temporibus solennes, in vomitibus statariis et periodicis, in haemorrhagiis narium, haemorrhoidum et mensum fluxu, in motibus febrilibus singularissime specificam directionem inuolventibus, in morbis acutissime periodicis et habitualibus &c. quod vero machina alia tali varietate et diuersa alteratione se actuet, citra sui incommodum sub specialissima directione et motus applicatione, hoc si mihi persuadere poteris, eris mibi magnus Apollo. Alt quod ad Assertum Cel. STAHLII attinet, nondum sane perspicio, quomodo mechanica mouendi necessitas tollatur in negotio vitali, quando anima, quae ordinario nihil cum ea habet commercii, eandem fortuito et transitorio conceptu aliquando turbat, quandoquidem hoc non impedit, quo minus in statu ordinario et regulari omnes operationes ex motu debito solidorum atque fluidorum vnice atque immediate legitime absolui possint, cum eiusmodi turbae et in machinis artificialibus obuenire possint et soleant, et propterea tamen nemo afferere dubitet, iustos machina-

na-

narum motus ipsarum strueturae tribuendos esse. Quod autem Cel. ALBERTI exinde concludere satagit, directionem mechanismi non pendere a materiali configuratione, si machina aliter procedere, actuari, et promoueri potest circa sui detrimentum aut nocumentum, id omni constitutum esse fundamento ipse adgnoscet Vir Cel., dummodo ad molendinas, tam quae ab aqua quam quae a vento mouentur, attenderit, quomodo pro ratione intensioris vel remissioris venti aut aquae rarius vel copiosius affluentis citius aut vehementius et nitius aut leuius agitantur, ita tamen ut nullum ipsis accedat incommodum, sed ipsae in cursu fixo rite progrediantur. Quis autem ambigere poterit, utrumque ipsarum motum mechanicae strueturae adscribendum, neque a superiori quadam causa, quae molendinae et motus huic machinae imprimendi sufficientem et dignam habeat notitiam repetendam esse? cum res ipsa manifesta sit et indissimulabilis. Quapropter etiam non audiendus est Vir Cel., quando *Med. und Philos. Schriften p. 446.* adserit, quod machina tali modo actuata machinae nomen non mereatur, quandoquidem ipsa sana ra-

tio atque experientia confirmant, nihil eo ipso molendinae decedere, quo minus sit et dici mereatur machina. Alias quidem machinas artificiales eadem varietate et tam diuersa alteratione quam machinam humanam se non actuare, lubenter Viro Cel. largior. Sed inde nullo iure concludi potest, varietatem motuum in negotio vitali a Mechanismo non pendere, siquidem quaelibet machina, prout vel minus vel magis eleganter conformata est, vel plures eosque varios vel minores eosque magis uniformes praestat motus, id quod in ipsis machinis artificialibus obseruatur. Et formet tantum atque construat aliquis eiusmodi machinam, qualis humanum corpus est, quae non solum quoad omnes partes exacte eandem referat, sed quarum etiam partes simili situ coordinatae sint, eadem elasticitate praeditae sint, et eadem flexibilitate aliisque requisitis necessariis accurate gaudeant, iurarem certe, fore ut sidem effectus vi huius machinae obtineri queant, quam qui in humano corpore obseruantur. Sed cum humana industria illud in effectum hoc usque deduci nequivierit, neque unquam deducendum sit, artificiosissima corporis nostri machina inimitabilis

bilis merito censetur, neque quisquam in aliis machinis tot motuum varietates demonstrabit, vti Cl. GACKENHOLTZ egregie declarauit *Programmate doctissimo de non imitanda per artem humana machine.* Helmst. 1710. edito. Omnem quidem lapidem mouerunt viri ingeniosissimi, vt simulacrum saltem humanae machine fabricarent. Sed quam parum feliciter conatus hi ipsis cesserint, discere satis licet ex iis, quae exposuit SALOMON REISELIVS *Ephem. N. C. Dec. I. A. IX.* et *X. Obs. I.* Denique 4) refellit assertum Viri Cel., quod partes corporis anima iam priuati motus adhuc edant, manifesto documento, quod eadem se ipsas mouere debeant atque possint. Sic enim 1) illud obseruatur in panniculo carnosō cuius paulo ante mentionem injeci, quippe qui a lanionibus dissectus, quamdiu calore naturali gaudet, continuo se adhuc mouet, certe non alia quam propria atque insita vi. 2) Illud clare demonstrant partes animalium in frusta dissectae, vt anguillarum, lumbicorum &c. diu adhuc post dissectionem se mouentes, quae motus istos neutiquam possent edere, nisi propria se mouendi pollerent virtute. Aliam equi-

H 3 dem

dem causam, quae motum hunc in modo
dictis partibus creat, afferre contendit Cel.
STAHLIVS, suam ut tueatur hypothese-
sin, dum *Sciamach.* p. 91. inquit: *Vbi paucis*
ad illam exceptionem, de motu abscissarum, ad-
huc sepe quasi legitime mouentium, partium, im-
primis in aquatilibus et amphibiis, facilis est
responsio, quod animae illae corporeitati in eo
propinquiores, quod iterum dissoluti credibile sit
(cum contrarium e fide non afferatur) etiam di-
uisibiles esse possint. Ast quam lubricum
fanaeque rationis principiis inimicum sit,
verum spiritum diuisibilem statuere et di-
cere, non est quod multis commemorem,
cum quilibet facile praeuideat, quantis
haec sententia prematur difficultatibus, et
quantopere ipsa religionis fundamenta la-
befactet et subruat.

§. IX.

Cum itaque ex modo memoratis de ar-
gumenti huius imbecillitate satis superque
constet, nullo negotio iudicari potest,
quantum rationibus, quibus id confirma-
tur, sit tribuendum. Quod enim lactis ad
mammas transmissio positivae pruden-
tiae nomine ab anima fiat, id certe nun-
quam euictum dabit Cel. **STAHLIVS**,
quandoquidem, repletionem mammarum

ne-

necessario fieri, non solum ipsa experientia anatomica demonstrat, vti Cel. BOROS-NYAL *Disquisit. de potentia et impotentia animae in corpus organicum* solide docuit, sed et conspirationem viarum vterinarum et mammariarum ipse Cel. STAHLIVS c. l. admittit. Quod autem haec conspiratio viarnm efficiat, vt sanguis copiosius ad mammae profluat, vt lac secernatur ex regula a Cel. ALBERTI *Med. und Philos. Schriften*, p. 471. tradita manifesto intelligitur: *Est, inquit, mechanicae rationis, si partes alicubi vel in regione quadam occludantur, quod in aliam maior affluxus regurget, id quod pariter ex hydraulicis cognitum est.* Ut omnis itaque supposita positiva prudentia euanescat. Ita porro concitatiorem cordis motum non tantum ad unicam horam, sed ad 8. 10. et plures dies ad specialissimos fines directum ex mechanica prodire non posse, veritati pariter contrariatur, quandoquidem, vt supra iam demonstravi, concitator motus neque machinae mechanismum tollit, neque machinam destruit. Sic etiam quae adferunt de concoctionis actu, eum pro materia expeditata, non ex machinae energia intendi, ad certum tempus ita et non aliter sencari,

H 4

aut

aut indifferenti tempore suscitari, certis occasionibus adstrictum esse debere, ut certis temporibus cibi concoctio, promotione et translatio extra Ventriculum exerceatur, ea, tantum abest, ut ipsis faueant, ut potius si quid aliud machinae virtuti demonstrandae inseruant. Notissimum enim est, concoctionem modo citius modo segnius absolui, prouti vel ipse ventriculi status est diuersus, vel alimentorum conditio, quippe quae non una semper eadem que est, varie se habet. Vnde et experientiae prorsus repugnat, absolute certum dari concoctionis tempus, certumque quo cibi concoctio promotio et translatio extra ventriculum exerceatur, cum nec energia machinae, ventriculi nimirum, semper ex sua natura sit eadem, nec aequali ratione suam exercere valeat actuitatem. Quod autem concoctio imbecillior et tardior sit, dum anima intensius vires suas ad moralia negotia applicat, hoc animae ordinarium concursum eiusque specialissimam concoctionis directionem motusque rationalem applicationem neutquam arguit, sed unice ostendit, animam ob arctum cum corpore commercium per operationes suas maiori cum vehementia, quam alias fieri solet,

let, institutas, concoctioni etiam vim infer-
re posse. Vnde autem insitae ventriculi
energiae nihil quicquam decedit, quippe
quaes nihil tamen minus ex propria acti-
uitate concoctionem administrat, sicut et
aliae machinae, quamvis turbatae sint, vi
structurae suae operantur, ut ut non ordi-
nario atque legitimo modo suas operatio-
nes perficiant et praestent. Denique nec
impotentiam corporis mechanice dispositi-
se ipsum mouendi destruit nutritio parti-
um apta tam quoad materiam nutrientem
quam partem nutriendam. Haec enim
vnice dependet a motu fibrarum elastico,
quo lympha tanquam vniuersalis nutritio-
nis materia ad omnes partes defertur, unde
ut cum Cel. BERGERO Lib. de Natura
humana p. 171. loquar, non solum toti sed et-
iam singulis partibus quaedam sit accessio ma-
gnitudinis, quam tamen nemo fieri sed factam
debet sentit. Nam quia lympha non est
vnum corpus simplex, sed commixtum ex dissi-
milibus molleculis, apta vtique et idonea est, ut
veluti commune genus nutrimenti suum cuique
parti durae non minus quam molli idaneum at-
que conuenientem succum contineat et promat.
Id quod facile potest intelligi si serum sanguinis
leni igne non in fibrosam tantum compagem

coire, sed etiam cartilagineam tandem ac diu-
turnitate temporis osseam quoque naturam in-
duere, obseruemus. Sic enim fieri etiam pot-
est in corpore, ut quemadmodum ignis, dissipan-
do aquam et sales mobiliores, soliditatem in se-
ro relatio excitat: ita ope ministerioque vaso-
rum segregatae ab humoribus ceteris, aptae cui-
us partii, duriores et concrescibiles particulae,
quasvis fibrarum angustias subeant, suaque ac-
cessione robur et soliditatem, quibusue conueni-
entem, addant. Ut minus proinde opus sit ad-
uocare gluten quoddam aliud, vel aliquem ve-
getationis opificem, qui segreget et assimilet suc-
cum atque in substantiam carnium cartilagi-
num vel ossium aut partium aliarum conuertat;
quemadmodum multi ridicula inanique spiritus
intri et architectonici vel archei et succi nutri-
tii rectoris ac ducis aut fermenti vocula dele-
stantur. Quodsi autem liberalis essem,
atque haec omnia tanquam verissima ad-
mitterem, quae a Viris Cel. pro defenden-
da sententia ista, quod corpus secundum
dispositionem mechanicam sua sponte vi-
tales operationes absoluere non possit, hac-
tenus sunt allata, num putas aliquid inde
roboris horum Virorum hypothesi adiun-
gi, quod anima rationalis easdem dirigat?
minime gentium. Afferit equidem Cel.

AL-

ALBERTI, machinam corporis ut instrumentum a causa altiori et digniori assumi et regi debere, et quidem tali cui inest notitia sui corporis in genere, eiusque mechanicae dispositionis seorsim; verum hoc ad animam rationalem non applicari potest. Haec enim nulla corporis sui eiusque mechanicae dispositionis seorsim notitia instructa est, quod omnibus notissimum est. Prouoco hanc ob causam ad vniuersum genus humanum, et scire velim, num quis vnquam corporis sui internae conditionis ac speciatim mechanicae ipsius dispositionis habuerit notitiam vel etiam num possideat? certissime persuasus sum, neminem fore, qui de eadem serio gloriai, atque vere affirmare possit, sibi vnquam eandem vel aliquando vel ex parte tantum obtigisse, si ab illis discesseris, qui vel ex aliorum discursibus, vel inspectione anatomica, aliquam sibi compararunt notitiam, quae tamen neque ad iactatos fines sufficit, neque vera atque genuina illa notitia est, quam Vir Cel. intelligit, ideoque ne quidem h. l. attendi meretur.

§. X.

Atque sic puto satis copiose nisi forte ad nauseam usque dictum esse de hoc ar-

gu-

gumento, ut itaque sine mora nunc subsequentis rationem habere queam. Respicit autem Vir Cel. in eodem ad arctum Vinculum, quo anima atque corpus inuicem coniunguntur, et quod efficit ut neutrum subiectum sine altero in mundo subsistere possit. Ex hoc nimirum vinculo colligit, quod cum corpus ad vitam requirat motus, animae autem vis mouendi primario competit, eademque simul corporis causa adsit, illa ipsa anima etiam motus in corpore administret. Audiamus ipsum Virum Cel., qui *thesi LXIX.* ita differit: *Quinta ratio est, cum anima atque corpus possintur strictissimo illo vinculo, secundum quod neutrum subiectum sine altero, quantum quidem concipi- mus in hac physica rerum uniuersitate esse et subsistere potest, neque anima sine corpore, neque corpus sine anima, ita dum corpus, in quantum viuum esse debet, motibus indiget, anima vero per capacitatem suam energeticam nihil aliud quam mouere, iterumque a motibus cessare potest, sed simul propter corpus est, ideo animam corpus mouere concludo.* Verum enim vero si vel omnia haec supposita admisero, atque ad indubitas veritates retulero, nondum tamen diligentiori instituta peruestigatio- ne illud ex vinculo colligere possum, quod

Vir

Vir Cel. ex eodem elicere satagit. Id equidem quodammodo ex illo apparere non nego, animam vi exacti huius commercii, et propter motum, quo, ut vivum sit corpus indiget, capacitatemque suam energeticam mouendi atque quod propter corpus sit, aptam esse, ut motus in corpore praestare queat. Quod autem actum motus istos peragat, atque speciatim motus ad vitam necessarios dirigat, id certe nunquam ex hoc vinculo demonstrabit, cum non obstante capacitatem sua, alia adesse queat causa, quae vitae praefit, quamque praecedenti argumento, luculenter ni fallor, exhibui, ut igitur Viri Cel. conclusio nil inde lucretur.

§. XI.

Forte autem magis perspicue huius hypothesisos veritatem comprobat subsequens argumentum a prima animae immutacione desumptum, cuius mentionem facit Vir Cel. thes. LXXIII. qua sentit: *Sexto animam naturam esse seu principium vitale, comprobatur ipsa illa diuina animae inauguracione, quando benignissimus creator ordine primo corpus quoad singula sua requisita corpore a fabricauit, et postea indidit halitum sive spiraculum vitarum tam spiritualis quam naturalis, ex quo homo*

homo factus fuit anima viua seu viuificans, per
 quam unicam solam animam et ratio et vita cor-
 pori accessit, unde illa sola anima principium
 et rationale et vitale existit: Et ita ipsa diuina
 reuelatio indicat, quod homo non maturius vi-
 uus aut vita praeditus fuerit, nisi posteaquam
 ipsi spiraculum illud vitarium inditum fuit, et
 ita factus erat homo anima viua; antea enim
 erat corpus proportionate a DEo ex gleba ter-
 rae formatum. Minime itaque conuenit hos
 respectus confundere, cum ante inspirationem
 huius principii vitarum homo nondum vius
 fuerit, alias ipsi spiraculum vitarum non ne-
 cesse fuisset, et tantum spiraculum vitae videli-
 cet spiritualis sufficerit. Quod argumen-
 tum etiam tangit Celeb. STAHLIVS
Disquisit. de vera diuersitate Mixti et Viui p. 30.
 Ast quamquam idem satis speciosum sit,
 multumque aestimetur a Viris Cel., cum
 indubitata demonstrationem in eodem
 inuenisse sibi persuadeant; attamen si ac-
 curatius aestimetur, ne minimam quidem,
 imo nullam ipsi conciliat certitudinem.
 Primo enim ex diuina animae inaugura-
 tione nondum indubitate demonstratur, ante
 accessum animae corpus Adami vita ani-
 mali fuisse destitutum, cum circulatio san-
 guinis reliquorumque humorum, respira-
 tio,

tio, secretiones, in eodem locum iam habere potuerint, quippe qui actus ut §o. VII.
 VIII. IX. demonstravi, a sola organorum debita structura atque insita vi mouendi dependent, animaeque subsidium plane non exposcunt. Praesidium equidem Cel. ALBERTI in eo quaerit, quod alias spiraculum vitarum ipsi non necesse fuisset, sed spiraculum vitae, videlicet spiritualis, ipsi suffecisset. Verum operae pretium fecisset Vir Cel., si demonstrasset, spiraculum hocce fuisse vitarum non autem vitae, cum longe aliud suadeant quae attulit Cel. BOROS NYA I. *Disquisit. cit.*
 p. 46. quando inquit: *Quam lubrico hoc mutatur talo, Philologiae tyro intelligit, quae docet vocabulum illud numeri pluralis carere singulari, adeoque pro hoc ponit; et praeterea Hebrewaos saepe genitium substantiū usurpare pro adiectivo, quo saepe carent. Adeoque spiritum vitæ heic significare spiritum vivum nemo non videt.* 2do Posito quod cum animae humanae immissione vita corporis initium simul ceperit, vltiori tamen confirmatione adhuc indiget, per animam rationalem vitam corporis fuisse introducitam, quandoquidem DEus eo ipso quo animam corpori indidit, etiam ipsi corpori seorsim primum impri-
 mere

mere potuit motum, ita ut duo hia&tus, licet eodem tempore a DEo absoluti sint, eidem causae animae nimirum adscribendi necessario non sint. Quod quamdiu non probatur, fallacia causae non causae aperta committitur. Verum fac 3) corpus Adami per immissionem animae fuisse viuificatum, nondum tamen inde conclusio derivari potest, animam rationalem et in reliquis hominibus esse autorem vitae. Magna enim obseruatur differentia inter viuificationem corporis Adami et Posterorum. Corpora enim reliquorum hominum sicuti per generationem ex diuina benedictione producuntur, atque adhuc propagantur, ita vitae suae exordia, quod indubitate confirmat experientia, proxime debent spermati virili, quippe quod immediate primum motum ouulo imprimit. Corpus autem Adami hac ratione motus vitales inchoare non poterat, quoniam non per generationem sed per creationem producebatur. Hinc si DEus, quamprimum illud formauit, aut cum animam in illud intriduxit, motus necessarios seorsim non communicauit, ab anima adueniente debuerunt in hoc casu extraordinario excitari, cum alias illa in corpore subsistere non

GIOH

po-

potuissest. Quoniam itaque corporis Adami atque Posterorum diuersa est viuificandi ratio hinc etiam a singulari Adami exemplo, vitaeque in eius corpus introductione ad reliquorum hominum concludere non licet, indeque sua sponte corruit consequentia ex eadem formata, quod anima rationalis sit vitae principium.

§. XII.

Attendamus iam ad septimum argumentum, quod ex actiuitate animae rationalis in motus sic dictos voluntarios capacitem animae mouendi vitalia organa repetit, atque *thesi LXXVI.* hisce verbis proponitur: *Septimo hoc assertum confirmat, quod corpus animale moueri possit ad nutum, arbitriam et voluntatem animae rationalis, qui motus transeunt in diuersas partes corporis musculosas, membranaceas, ligamentosas, tendinosas aliasque, cum itaque anima tam eidemibus motibus suum corpus adficere et instruere potest, quid impedit, quo minus singulares corporis partes motibus idoneis regere et adficere queat, quamquam non ubique hi motus iuxta voluntatem exerceri queant et debeant. Si enim anima in voluntariis motibus corpus sine adminiculo intermediae causae suppositione agitare potest, quid obstat, quo minus vir puer-*

re possit, cum musculum temporalem moueat.
Ast quamquam nihil impedire videatur,
quo minus anima cor atque reliquias par-
tes mouere possit, interim tamen nondum
exinde consequitur, animam easdem actu
commouere, nemini cum obscurum sit,
quod a posse ad esse non valeat consequen-
tia. Demonstrandum potius fuisset a Vi-
ro Cl. animam actu motus vitales dirige-
re; eumque in finem tam euidentes cir-
cumstantiae allegandae fuissent, quales de
motibus voluntariis in promtu habemus,
et per quas de veritate huius effectus su-
mus conuicti, atque tum ipsi haud inuitus
largiri vellem, quod anima cor actu mo-
ueat; sed cum illachactenus desiderentur,
vitio mihi non vertet, quod ipsi ad stipu-
lari detrectem. Praeterea *αἰσθάτοι* mihi
videtur, quod cum animae facultas partes
vitales mouendi tanti a Viris Cl. aestime-
tur, et tam egregia corporique tam utilis
habeatur, quod nihilo tamen minus Vir
Cl. afferat, motus hosce non iuxta volun-
tatem exerceri. Quomodo hoc conuen-
tit cum altero asserto, quod anima maxi-
mo cum iudicio motus hosce exerceat? in-
efficax hoc erit, si illud anima pro lubitu
exequi non valet. Et quomodo tam or-
dinate,

dinate, proportionate et regulariter motus ad finem certum instituere potest, si in ipsius potestate non sunt, nec iuxta arbitrium eius peragi possunt? certe haec omnia cum reliqua hypothesi tam male cohaerent, ut eandem multum infringant atque destruant.

§. XIII.

De octavo argumento nihil hoc loco monere constitui, sicuti et decimum sextum atque vigesimum pariter sicco pede praeterire decreui, siquidem commodior differendi de iisdem sequenti capite se offeret occasio. Proinde ad nonum me conuerto, quod praincipue veritatem huius sententiae tueri dicitur, ideoque pro palmaria atque principali ratione, quae pro eadem militat, venditatur. Est autem illa, vti *thesi LXXXII.* proponitur, sequens: *Imprimis nono hoc nostrum assertum defendit illa luculenta conuenientia inter motus animi patheticos et alterationes vitales occursans, vbi a) notari debet, quomodo uno eodemque momento simul etiam pathemata animi et alterationes motuum vitalium obtingant, unde liquet, qui haec ab illis pendeant.* B) *Sciendum etiam est, qui motus vitales alterati, quoad essentiales et simul finales respectus amus-*

Sim et exquisite cum motibus patheticis conueniant, neque penitus tumultuarii existant.
Quod argumentum grauiter etiam vrget
Cel. STAHLIUS Disquisit. de Mechanis. et Organism. diuersitate p. 45. pluribus
 que aliis in locis. Ast quanquam haec ra-
 tio prae ceteris eminere, atque huic hypo-
 thesi dignitatem haud leuem adiungere
 videatur, non paruis tamen adhuc laborat
 defectibus, qui impediunt, quo minus so-
 lidae probationis vicem sustinere queat.
Quantum enim ad primam probationem
 attinet, negari equidem nequit, quod alte-
 rationes motuum vitalium, quae praesen-
 tibus animi pathematibus insimul eodem
 que momento in corpore obseruantur, ab
 iisdem etiam originem trahant; at eo non
 dum firma redditur atque indubia hypo-
 thesis ista, animam rationalem veram esse
 motuum vitalium causam. Si enim
 omnes examinamus circumstantias quae
 tam in corpore quam in anima sub pathe-
 matibus praesentes sunt, manifeste obser-
 uabimus, animam rationalem non nisi oc-
 casionalem causam harum alterationum
 existere, siquidem vnice propter arctum
 vinculum, quo anima et corpus conne-
 ctantur, praesentibus animae commotio-
 nibus

nibus corpus quidem necessario afficitur, non vero easdem perficere intendit anima. Hinc reēte scribit Cl. BOROSNYAI *Disquisit: Citat. p. 40.* Longe aliud est fieri aliud in corpore ab anima tanquam causa illud intelligendo et determinando efficiente, aliud vero propter animae cum corpore unionem, cum illud verae causae efficientis, hoc vero necessariae ex lege unionis conditionis ideam tantummodo inuoluat. Quod autem anima nullam plane turbas hasce excitandi foueat intentionem, inde satis apparet, 1) quod animae rationali omnis de iisdem instituendis deficiat cogitatio et voluntas, cum horum nihil quicquam obseruet homo affectibus abreptus, nec iam sedatis etiam affectibus, omni licet adhibita diligentia, in memoriam vñquam sibi reuocare possit. Quod nec ipse abnuere potest Cel. STAHLIVS *Diss. de frequentia morborum in corpore humano prae brutis. Thes. LVII.* 2) quod nec anima impedire valeat, quo minus praesentibus affectibus alterationes in corpore sese exferant atque sequantur, quod tamen efficere et posset, si ex eiusdem intentione orientur, et deberet, cum iidem tot damna corpori inferant, quae omni modo alioquin, vt statuunt, auertere conatur, hic au-

tem studio et consilio semper producit. Vnde relinquitur, animam rationalem non ex intentione sua, alterationes hasce vitales instituere, sed tantum subitaneis suis cogitationibus atque commotionibus, propter arctam cum corpore connexionem, ansam suppeditare, ut motus isti in corpore irregulares simul existant. Quomodo autem illud eueniat, determinare non possum, cum quo in animae cum corpore commercium consistat, incognitum mihi sit. Dabo autem, exploratum esse, animam alterationes hasce vitales studio instituere, extraordinariae tamen hae sunt, ex quibus inferri nequit, animam rationalem motuum vitalium ordinariam esse causam. Lubenter enim concedimus, ut cum Illustri F RID. HOFFMANNO diss. de Generat. febrium Hal. 1715. habita p. 7. loquar: et varias impressiones animae et cogitationes non secus ac alia externa elementa alimenta venenarius et potentiam in motus corporis vitales habere, eos varie adficiendo vel etiam turbando, minime tamen ex eo consequitur, quod alterat et turbat hos motus, unica et vera horum quoque causa sit.

§. XIV.

Nec altera ratio, quae ex exacta conuenientia

nientia motuum alteratorum vitalium cum
motibus animi pathematisbus quoad essen-
tiales et finales suos respectus veritatem
huius hypotheseos confirmare studet, quic-
quam valoris habet. Manifesto id apparebit
si exemplum istud examinavero, quod Cel.
STAHLIVS Propemt. Inaug. ad Diff. de
Vita. Monente Anomalias motuum vitalium
patheticas non esse tumultuarias aut turbulen-
tas Hal. 1701. euulgato, eum in finem pro-
ponit, quando p. 6. inquit: *Si summa illa ge-
nera intentionum atque motuum inter se confe-
ro (loquitur autem Vir Cel. de terrore re-
pentino) quae in perplexa illa rationis desti-
natione et motuum vitalium directione analo-
giam inter se habere apparent, certe anxia in-
tentio propter urgenter causam propere agendi,
habet, quod ipsi respondeat in festinato illo motu
praecipuo vitali pulsu eiusque palpitatione, par-
ua firmitas intentionis et spes successus quadrat
non satis audaci veluti seu vegeto pulsus vigor,
imo perpetua primaria intentio, si possibile sit,
potius subducendi se et delitescendi, quid differt
ab illa sanguinis tanquam thesauri vitalis ad in-
timiora collectione et veluti in saluum deduc-
tione; sicuti in pleno omnis consilii adeoque etiam
auxiliu defectu, et nascente hinc ab agendo ces-
sandi euentu, quid magis respondeat, quam cir-*

ca actus etiam inferiores cessatio? Imo enim variae supponuntur intentiones quae praesente subitaneo terrore nunquam in anima obseruantur. Quis enim subitaneo percussus terrore, vnuquam animaduertit, anxiā sibi esse intentionem propter vrgentem causam propere agendi, nec non paruam firmitatem intentionis et spem successus, plenumque omnis consilii adeoque etiam auxiliī defectum et nascentem hinc ab agendo cessandi euentum; siquidem in subitaneo terrore mens adeo cito percutitur, tantaque vehementia perturbatur, ut omnis ipsi praescindatur occasio, qua anxiā intentionem propter vrgentem causam propere agendi aliasque deliberationes modo memoratas fouere queat, cum eo momento, quo terror exoritur, omnes opprimantur cogitationes distinctae, animaque sui nullatenus ita compos existat, ut tam varias cogitationes atque intentiones, sibi repraesentare et decernere queat.

2) Motus in vniuersum omnes, qui cum iisdem quoad finales respectus conuenire dicuntur, neutruam eum in finem instituuntur. Cum enim vti \S o praecedenti iam demonstrauit, iidem occasionaliter tantum oriantur, vi arcti vinculi, quo anima et corpus

pus inter se continentur, hinc licet generatim sibi respondere videantur, motus et alterationes animae, omni tamen destituti sunt fine, atque necessitate quadam ita se habent et sequuntur, id quod etiam consideratio horum motuum confirmat. Cum enim in subitaneo terrore spastica continget superficie corporis constrictio, cui inopinata illa mentis perturbatio ansam quidem dat, ita tamen ut eandem neutiquam ex intentione quadam producat, vasa sanguifera per eandem disseminata constringuntur, vnde sanguis ab illa ad interiora necessario repellitur, citra quod deliberato consilio id fiat, scilicet, ut sanguis tanquam thesaurus vitalis in saluum deducatur, quandoquidem mechanica ratio eiusmodi ad interiora regurgitationem postulat, ut ex regula Cl. ALBERTI supra adducta etiam constat. Quando itaque sanguis hac ratione ad interiora maiori copia translatus est; nemo non videt, cor atque vasa maiora necessario aggrauari, inde nec alter fieri potest, quam ut palpitatio pulsus que vehementior in iisdem sequatur, sine omnisane concurso anxiae intentionis propter urgentem causam propere agendi, cumque ista retrocessio ingrauescit, et sub-

inde augmenta accipit, non potest non pulsus vigor decrescere, tandemque plane cessare, quandoquidem ob copiam sanguinis nimis multiplicatam, cor atque vasā semper magis magisque expanduntur, fibraeque ultra consuetum modum extenduntur, vnde tandem, si in hoc statu sanguinis accumulatio continuat, cessare a motibus suis coguntur, minime autem ex parua firmitate intentionis et spe successus, plenoque omnis consilii adeoque et auxiliī defectu et nascente hinc ab agendo cessandi eventu ab iisdem remittunt. Nam si vel maxime in anima tales deliberationes suscipiantur, motus tamen isti ob rationes *so praecedentii* iam adductas hisce intentionibus adscribi requirent. Ut taceam hancce motuum alteratorum vitalium cum motibus animi patheticis conuenientiam quo ad finem irritam fore et ridiculam, quandoquidem e. g. auctus pulsus cordisque palpitatio plane inhabiles sunt; ut animae anxiam intentionem propere agendi subleuant, magisque efficacem reddant, cum non solum impedian, vt intentio in effetum deducatur, eo quod inde anxietas maior oriatur, maior animi turbatio, maiusque in agendo impedimentum, sed etiam

vter-

vterque motus tam cordis quam vasorum
ineptum plane constituat instrumentum,
quo intentio obtineri queat, quippe quae
non motibus vitalibus, sed sic dictis volun-
tariis absoluenda est. Ita pariter sanguini-
nis tanquam thesauri vitalis ad interiora
collectione et veluti in faluum deductione
frustra succurritur perpetuae primariae in-
tentioni, si possibile sit potius subducendi se
et delitescendi. Absona etiam foret haec-
ce sanguinis collectio, si eum in finem insti-
tueretur, quandoquidem quilibet haud ae-
gre intelligit, corpus eo ipso causae vrgen-
ti atque periculum minanti non subduci et
subtrahi, sed magis potius exponi, cum san-
guinis huius collectione anima magis per-
turbetur atque ad subducendum se inepta
reddatur. Praeterea sanguis nullum pe-
culiare incurrit periculum, vt propterea a
superficie corporis reuocandus, reliqua-
que partes discrimini suo committendae
sint. Ex quibus ut reliquas intentiones,
chartae parcens, silentio praeteream, satis
manifestum existit, quod vitales motus al-
terati, quoad finem cum intentionibus ani-
mae, etiamsi obseruarentur, nullo modo
conspirent, neque eam ob causam animae
adscribendae sint, sed firmum potius ra-
tum.

tumque esse, quod, ut supra iam demonstravi, ex necessitate contingant. Vnde etiam, quod exinde deducitur, nimurum non penitus tumultuarios eos esse, sponte corrupti, id quod inde quoque satis adparet, quod omnes isti motus a consuetis atque ordinariis legibus plane recedant atque aberrent.

§. XV.

Atque sic exposui atque examinaui argumenta omnia, quibus maxima certitudinis species huic hypothesi ex sententia Dominorum Defendantium conciliari potest. Supersunt autem adhuc quaedam, quae equidem facile praetermittere possem, atque seponere, cum leuioris notae sint, adeoque non multum attendi mereantur, ne tamen in his praesidium aliquod quaerant Viri Cl., eadem itidem adhuc, licet strictim, attingere constitui. Quo consilio me iam confero ad decimum argumentum cuius meminit Vir Cl. Thes. LXXXIII. dum inquit: *Sic decimo confirmat idem assertum, conspiratio illa quotidianis exemplis comprobata inter motus vitales et morales, et quidem quando posteriores intensius et operosis exercentur, quomodo propterea vitales actiones negligentius et minus conuenienter ad-*

mini-

ministrentur. Inde innotuit, quod infantes
 prae mature prudentes ad ultimam aetatem non
 affequantur, et quod profundiores meditationes
 corpus debilitent. Quanquam autem hoc
 ce phænomenon exploratae sit veritatis,
 dubitari tamen non immerito potest, an ad
 confirmandum id, quod debet, sit compa-
 ratum. Nihil enim amplius demonstrat,
 quam quod anima ob arctam cum corpore
 connexionem motus vitales alterare possit;
 quod autem ordinario iisdem praesit, eos-
 demque dirigat, neutiquam eodem euinci-
 tur. Est enim hic eadem ratio atque con-
 ditio, quam quae obseruatur circa animi pa-
 themata, de quibus tamen luculenter, ni-
 fallor, praecedentibus §is obseruauimus,
 quod nullum suppeditent argumentum,
 quo probetur, animam rationalem esse
 principium vitae. Neque aliter diffe-
 runt nisi vt maius et minus, siquidem alte-
 rationes motuum vitalium sub affectibus
 subitaneeae sunt atque vehementes, quo-
 niam mentis operationes in iisdem satis
 praecipitanter atque impetuose admini-
 strantur, cum contra aliae profundae me-
 ditationes, quamvis fixae sint atque inten-
 sae, non tamen tanto cum impetu atque ve-
 hementia peragantur, vnde alterationes in
 mo-

motibus vitalibus non adeo excedentes sunt neque tam cito noxam afferunt, sed sensim sensimque tantum, diutius continuae, corpori nocent.

§. XVI.

Vndeclimum sequitur argumentum, quod Vir Cl. Thes. LXXXV. his verbis complectitur: Accedit undecimo, quod dum cum prima animae immissione intra corpus et ratio et vita sese simul manifestauit; ita remota anima vita etiam remoueatur, ex quo colligere licet, quod vita ab eadem anima pendeat, a qua ratio evenit, non solum quoad essentiam suam in corpore praesente, sed et per actiuitatem peculiarem corpus affidente. Verum istud oppido infirmum imo nullius momenti esse deprehenditur. Nititur enim falso atque indemonstrabili principio, quod partim cum prima animae immissione et per illam vita insimul sese manifestauerit, partim etiam remota anima vita remoueat. Prioris asserti imbecillitatem praesentis capititis §. XI. iam satis demonstrauit; et posterioris incertitudinem praecedenti Capite §. XXXVI. abunde iam detegi. Apertam enim hic committit Vir Cl. fallaciam causae non causae, animaeque effetum tribuit, quem nunquam praestat.

Quam-

Quamuis enim vitae finis eodem cum dis-
 cessu animae contingat tempore, animae
 tamen ideo adscribi nequit, quod illa vitae
 finem inferat. Hoc enim si statueretur,
 iure animae humanae competenter titulus
 iste, quem ipsi tribuit Cl. BOROSNYAI
 c. l. p. 38. dum omnem spiritum humanum
 proprii corporis homicidam dici posse, af-
 ferit. Homo enim morti se tradere pos-
 set, quandocunque ipsi volupe foret, citra
 quod externa atque violenta media adhi-
 beantur. Et quam felices isti forent, qui
 vel diuturnis morbis laborant, vel imma-
 nibus cruciatibus in morbis anguntur, vi-
 taeque finem tam anxie desiderant. Non
 enim in tam anxi moriendi desiderio ac-
 quiescere deberent, sed omnibus suis quae-
 relis subitaneo animae discessu breuem im-
 ponere possent finem. Imo hac ratione
 vinculis detenti latrones aliique scelerati
 non haberent, quod pertimescerent atro-
 ces poenas, quae ipsos manent, et per quas
 mors ipsis infligitur, sed anticipato animae
 discessu easdem omnes promite eludere
 possent. At quam impotens et hac in par-
 te sit anima nostra, adeo omnibus patet, ut
 vel verbum addere, superuacaneum fo-
 ret, vnde facile etiam colligi potest, quam
 egre-

egregie hoc argumento veritas illius hypotheseos stabiliatur.

estivilli boni §. XVII.

Lubet itaque statim ad duodecimum argumentum progredi, quod *Thesi LXXXVI.* ita traditur. *Praeterea* duodecimo animam naturam esse, indicat illa circumstantia, qui mores et particulares individuum inclinationes conueniant, cum specialissima corporis constitutione siue sic dicto temperamento, adeo ut, quales gradus atque ordines in vitalibus officiis seruantur, tales etiam in moralibus operationibus administrantur. Ex qua exacta harmonia et quasi reactione (ut vulgo quidem dicitur) corporis in animam elucescit, quod vicissim anima per res corporeas affici possit, aut quod inter corporeum et incorporeum detur commercium, sine intercedente contactu physico, siquidem corpus neque per se neque per fictitious illos spiritus animales animam contingere potest. Vera sane sunt imo verissima, quae Vir Cl. hic tradit, quandoquidem ambigere nemo potest, quod ex conuenientia morum cum temperamento elucescat, quod anima a rebus corporeis affici possit, aut quod inter corporeum et incorporeum detur commercium, nisi qui praediudicio harmoniae praestabilitae fuerit fascinatus.

Quo-

Quomodo vero hypotheseos istius veritas
inde confirmetur, quod anima motus vita-
les administret, mihi certe haec tenus asse-
qui, datum non est, rectiusque fecisset Vir
Cl., si conclusionis istius ex hoc argumen-
to formatae, animam esse naturam, nexus
demonstrasset, cum de altera consequentia
hoc loco non sit sermo. Sed cum illud
forte praestare non potuerit, tacitus ean-
dem praeterit. Id quod etiam probe
agnouit Cl. BOROS NYAI, quando
c.l.p. 41. inquit: *Conuenientia quaedam actio-
num vitalium et moralium in homine, probat
equidem rursus arctam animae cum corpore
unionem, tantum vero abeat, ut uniuersalem ani-
mae in producendis et dirigendis omnibus sui
corporis motibus potentiam demonstraret, ut po-
tius ex opposito, potentiam corporis in animam,
et quandam huius de illo dependentiam manife-
sto euincat.*

§. XVIII.

Vt decimi tertii, decimi quarti, et deci-
mi quinti argumenti considerationem in-
stituam, nulla plane efflagitat necessitas.
Cum eadem enim ex facultate animae
struendi atque formandi corpus huma-
num, eidem etiam aetum conseruandi vin-
dicare debeant, omni vi atque efficacia de-

K

stituta

stituta sunt, quandoquidem integro capite
praecedenti prolixo satis atque luculenter,
quod credo, euictum dedi, animae huma-
nae nullo modo adscribendum esse struen-
di actum, ut igitur ex omnibus hisce argu-
mentis nullum hypothesi isti accedat praef-
sidium. Missis itaque iisdem, perlustra-
bo decimum septimum argumentum,
quod Thef. XCII. continetur: Neque deci-
mo septimo, inquit, aliud principium in toto sy-
stemate mundano de vita et sanitate animali ma-
gis sollicitum et anxium est, quam eadem anima
rationalis, ut exinde liqueat, qui vita sit propter
animam, et anima propter vitam, atque unum
cum altero connectat, aut ab altero pendeat;
quamprimum enim vita periclitatur, ex eo in-
fallibiliter anima trepidat, et vicissim animae
tranquillitas longaeuitatem promittit. Ve-
rum enim vero istud argumentum non mi-
nus quam praecedens exigui est ponderis.
Quanquam enim negari nequeat, animam
nostram de vita et sanitate quam maxime
sollicitam esse, exinde tamen non sequitur,
vitam ab illa pendere, eandemque huius es-
se causam efficientem. Animae enim sol-
licitudo actualis, ulterius se extendere ne-
quit, quam ad res ab extra aduenientes cor-
porique vel noxias vel salutares aut remo-
uendas

uendas aut prosequendas. Quod autem ipsius cura eousque progrediatur, ut etiam eum in finem motus vitales dirigat, videatque, ut illi legitime succedant, id ut nullo alio indicio constat, ita nec ex sollicitudine atque anxietate animae de corporis vita atque sanitate colligi potest. Et quanquam vita periclitante, anima quam vehementissime trepidet, et vicissim animae tranquillitas longaeuitatem promittat, illud tamen itidem non sufficit, ut animam ideo motus vitales regere, nobis persuadeamus, sed hoc tantum arguit, quod unum cum altero connectatur, et tam arcta vnione continetur, ut in certis casibus in se inuicem agere possint, non autem quod anima continuo atque ordinario motus vitales vel producat vel administret. Hoc enim si quis cinxide deducere vellet, necesse etiam foret, ut admitteret, corpus esse veram atque ordinariam causam, quae animae operationes dirigit, quod autem cum experientiae repugnet, luculenter patet, quantum allata phœnomena veritatem argumenti huius confirmant, et quod omnino longe meliores afferendae fuissent circumstantiae, ex quibus tutius potuisset concludi, animae sollicitudinem argumento esse, quod vita ab ipsa pendeat.

K 2

§. XIX.

§. XIX.

Simili ratione comparatum est decimum octauum argumentum, quod a Viro Cl. Thes. XCIII. propositum ita sese habet: *Ita decimo octavo in historia practica tum vitae et sanitatis tum mortis et morborum innotescit, quod anima singularia et notatu digna praesagia de vita atque morte ferre queat, quae formare non posset, si non actiue circa viam nimurum per motus vitales occupata esset.* Quamquam enim ea, quae de praesagiis afferuntur, quoad *τὸ ὄρη* penitus non sint reiicienda, minime tamen ita comparata sunt, ut ex iisdem inferri queat, animam circa vitam esse occupatam. 1) enim multa dantur praesagia, ad quae anima per satis manifestas naturales causas disponitur, prouti in morbis atque instantे morte haud raro fieri solet, quae autem non requirunt, ut anima ea propter circa vitam actiue sit occupata. 2) multa ex p[re]cepta concepta opinione falsaque persuasione vnicē profluunt, eaque propter raro effectus, quos sibi concipiunt eiusmodi homines, sequuntur, et si euentus etiam imaginationi respondet, ex accidenti tamen illud tantum euenit. Atque eiusmodi praesagiis nil pariter iesit, propter quod animae vitae directio tribui debet;

beat; et quae 3) vere singularia et notatu digna sunt praesagia, quae nulla, ne minima quidem, quantum coniicere licet, manifesta occasione suppeditata sunt, et quae oberrantis phantasiae somnia haberi nequeunt, sed quorum notitia occulta ad nos ratione peruenit, ea sane itidem non probant, animam ordinario circa vitam esse occupatam. Quandoquidem si anima adeo intime cum vita per motus vitales esset coniuncta 1) necessario indicare posset, se hac via istam hausisse notitiam 2) etiam nihil impediret, quo minus anima diuinitrix semper et quoties ipsi placuerit, eiusmodi praesagia formare posset, quandoquidem semper cum vita per motus vitales actiue coniuncta. Sed dum vtrumque nunquam contingit, necesse omnino est, ut ex longe alio fonte anima hancce hauserit notitiam. Praeterea 3) si vel maxime, ex intima contemplatione negotii vitalis proficerentur eiusmodi praesagia, nondum tamen euincunt, animam ordinario tam arte cum vita esse coniunctam, quandoquidem status hicce adeo rarus atque extraordinarius est, vt inde neutiquam inferri possit, animam semper aetue circa vitam mediantibus motibus vitalibus esse occupa-

tam. Ut taceam, quod si praefagia eiusmodi, ut par est, considerauerimus, omnino fatendum sit, diuini quid subesse, si anima praefagia notatu digna vera ediderit, quandoquidem ita illa interdum comparata sunt, ut, licet anima actiue circa vitam per motus vitales occupata esset, isto tam modo eadem acquirere non posset, quorū referto e. g. praedictionem diei atque horae mortis. Id quod ipse etiam Vir Cl. prorsus abnegare non audet, dum *Specim. Med. Theol.* p. 285. inquit, quod talia vaticinia interdum sublimiori intimiori et particulari magis influxui et illuminationi DEI adscribi mereantur.

S. XX.

Vltimo denique loco nostram adhuc sibi depositit considerationem decimum nonum argumentum, thes. XCIV. sequenti modo propositum: *Praeterea adhuc decimo nono diuinæ reuelationis est, quod homo ex anima rationali et corpore constet, illa est actiua, hoc per se non mouetur, sed ab illa nobilitatur: quo ipso vero unum immateriale alterum vero materiale hominis principium indicatur, illud agens, hoc patiens, quod posterius cum sine motu esse et existere nequeat, a priori nobiliori principio motus suos suscipit.* Ast quamquam lumen

benter concedam, diuinæ reuelationis esse, quod homo ex anima et corpore constet, nunquam tamen demonstrabit Vir Cl. et hoc diuinæ reuelationis esse, quod corpus per se non moueat, sed ab anima nobilitetur, nec, si id persuasum habet, frustra operam collocasset, si ex ipsa sacra scriptura id confirmasset. Interim si vel maxime probasset, corpus per se non moueri, frustra tamen atque nimis intempestive inde concludit, quod corpus ab anima rationali motus suos accipiat. Evidenter enim, ut spero, iam demonstratum dedi priori capite, quod anima rationalis motus neutram primum producat, sed quod iidem per actiuitatem spermatis virilis sub fœcundatione introducantur. Vnde quamdiu hoc assertum inconcussum perstat, praesentem etiam consequentiam neutram admittere possum.

§. XXI.

Omnibus itaque hisce argumentis probe excusis, vnicuique platum atque evidens esse arbitror, animam humanam in administrandis motibus vitalibus minime elaborare atque occupari, eandemque causam atque principium vitae perperam dici. Confirmatur idem etiam satis evidenter

K 4

ex

ex eo, quod anima omnium earum operationum, quas in vitalibus suscipere dicitur, plane sit ignara, omniisque destituatur conscientia, quod easdem peragat, cum tamen propria nostra conscientia et primariam et verissimam constituat probationem, qua certi reddimus, quid anima agat, ita ut ea deficiente, omnes reliquae conjecturae, quaecunque afferri possunt, nullo aut exiguo loco censendi sint. Rectissime etiam de hac loquitur conscientia Cl. BOROS-NYAL c. l. p. 29: Tantae, ait, omnino hoc argumentum est efficaciae, quod nullo elenchorum ariete pulsando labefactari poterit, nullum enim maius et validius anima possidet argumentum, quam ab intima ipsius conscientia desumendum. Cum itaque haec obseruatio euidentissime dissentientium destruat hypothesin, variis modis illi tentarunt, quibus illam euerterent, aut saltem labefactarent. Modo enim afferunt, animam humanam horum motuum omnino conscientiam esse, quemadmodum id perspicue eloquitur Cel. STAHLIVS Sciamach. p. 190, quando inquit: *Omnia quae in vitalibus actibus nedum animalibus recte geruntur, motu geri agnosco, illam vero omnino insitam arbitror animae notitiam, quibus rebus gerendis ipsa destinata*

stinata sit, et ad illas gerendum, necessaria facultate instructa. Iam, si energiae motuum conscientia, quod certe est iudicij obiectum, non potest ignorare esse proportionis, inter energiam motus et habilitatem subiecti motu afficiendi seu motus et mobilitatis. Nec minus idem sentit Cl. ALBERTI in Medicin. und Philos. Schriften p. 295. quando, postquam naturae prouidentiam in variolis antea extulit, ita scribit: *Quis vero hunc laudabilem caeteroquin motum naturae spontaneum in economia animali exercebit, nisi prouida natura talium actuum conscientia.* Similia habet Pathol. sua p. III. thes. 31. vbi inquit: *Hanc spontaneam medicationem adscribo naturae, quae tum proportionum necessiarum conscientia . . .* Alia vice interdum tantum contingentem, atque aliqualem ipsi adscribunt conscientiam. Sic enim inquit Cel. STAHLIVS Sciamach. p. 107. *Interim supersunt tamen etiam indicia aliqua huius rei, aliori consideratione omnino digna, nempe 1.) Consideratio seu praefiguratio rerum, quae in corpore sunt, per qualisunque rerum crassiorum et figurabilium analogismos.* Vnde somnia, quae Physiognomis et Oneirocritis Naturalia dicuntur, sanguine abundantibus de rebus rubris, sanguine ipso largius alicubi profuso, cholericis sanguineis de

igne, de calore insigniter molesto, Phlegmaticis de aquis, frigore, labore valde delassante, Melancholicis de angustiis, periculo capturae et carcerum, tenebris etc. Qualia etiam, abundante maxime corporearum illarum rerum quantitate, satis familiariter occurunt, morbos similes impendentes propius indicantia (seu praenoscentia potius, ut in proxima potentia, materialiter ingruentes) ut laboriosus incessus per aquas, tumores oedematosos antecedentibus somniis familiaris. Imo vigilantibus tandem perpetuo obuersans cogitatio de incarceratione, et capitalibus insidiis, quae infarctui sanguinis hypochondriaco-splenico, cum frequentibus anxietatibus familiarissimis, satis communis est.

2) Notitia illa ad ipsos usque paucorum mensium infantes se se extendens, benevolentiae erga certos, timoris autem et auersionis erga alios homines. Vbi imprimis paritas externae quoque Physiognomiae plurimum valet, seu intuitus aliqualis similitudinis sui ipsius. Licet uniuscum negotium iucunditatis et aduersitatis multa hic pertinenia exempla suppeditet. Et Cl. ALBERTI haec confirmat Specim. Med. Theol. p. 302., dum ita pronuntiat: *Ipsa (scil. anima) subinde functionum suarum successus obseruat, cognoscit, et totius sui corporis atque actionum economiae vitalis, prout huic spherae*

com-

competit, conscientia, licet non crasso praefiguratio-
nis et reflexionis actu gnara, subtili rationis mo-
deramine iisdem inuigilat, eosdemque processus
atque successus satis saepe sub ministerio aliarum
et quidem compostarum idearum sibi repre-
sentat, ut sanguinis sub idea rubicundi aut splen-
doris subiecti, seri et catarrhalium humorum
sub idea aquae fluidae etc. reminiscatur. Mo-
do prorsus eandem ipsi denegant, vti hoc
factum esse deprehendo a Cel. STAHL.
Diff. de Frequentia morborum corpore
humano p[re]e brutis thes. XCVI. Disquisit. de
Mechanismi et Organismi diuersitate p. 46.
Physiolog. p. 24. p. 310. Sciamach. p. 105, nec
non Cl. ALBERTI. Med. und Philosoph.
Schriften p. 169.

§. XXII.

Quam parum itaque sibimet ipsis in hoc
phænomeno explicando constent Viri Do-
ctissimi, ex hac tenus recensitis manifestum
esse arbitror. Cum tam primam quam
secundam sententiam ipsi ultima, quam ad-
duxerunt, destruant. Et quanquam secundae
ratiunculis quibusdam fucum obducere
sategerint, facile tamen iste detrahi potest,
atque ostendi, quam parum istae causae
suae faueant. Quod enim ad primam Cel.
STAHLII rationem attinet, cui et Cl.

AL-

ALBERTI suffragatur, certum equidem est, res in corpore contingentes animam interdum afficere, eandemque ad eiusmodi cogitationes componere, quae cum rebus istis analogiam habent. Verum id non sufficit, ut anima cognoscatur a priori, oriri in ipsa eiusmodi cogitationes occasione rerum quae in corpore continentur; et quod easdem representare debant; quandoquidem experientia in aegrotis eiusmodi cogitationibus obnoxii contrarium testatur, quippe qui haud raro Medicis istas anxie exponunt, et tanquam res periculosas ab ipsis visas referunt, ab illis causam sciscitantes, quod tamen nunquam facerent, si a priori ipsis constaret, quod analogiam cum rebus, quae in corpore sunt, haberent. Hinc qui de analogismo praefigurationis rerum, quae in corpore sunt, per res crassiores et figurabiles utcunque aliquam possident notitiam, ii certe vel ex relatione tantum aliorum eandem sibi compararunt, vel a posteriori longaque experientia collegerunt. Praeterea nimis generales obseruantur isti analogismi, ut ex iisdem res istas in corpore euidentes a priori speciatim sibi praefigurare queant, quemadmodum id etiam
nun-

nunquam contingit, uti notissimum est hominibus analogismorum horum plane ignarisi. Sed quodsi etiam concessero, animae a priori constare, crassas hasce cogitationes analogicas occasione rerum in corpore contingentium se obtulisse, easdem que praefigurare, nemo tamen facile inde concludet, nisi praeiudicis abreptus fuerit, quod anima conscientia sibi sit, se res in corpore contingentes administrare, cum ne quidem simpliciter indicare possit, quod illas instituat, sed illud tantum vere prodat, res corporeas vim suam in animam exercere posse, eandemque ad certas cogitationes disponere. Id autem, quod debet, probare nequit, etiam si subtilis tantum conscientia requireretur non crassa praefigurativa, quam tamen CL. ALBERTI postulat. Vnde etiam praefigurationes istae, per qualescunque rerum crassiarum analogismos, ad indicia altiori consideratione digna minime sunt referendae. Multo minus huc trahi potest notitia illa ad ipsos usque paucorum mensium infantes se extendens, benevolentiae erga certos, timoris autem et auersionis erga alios, quam Cel. STAHLIVS secundo loco assert; quandoquidem haec notitia, dum

per

per sensus acquiritur, tam manifesta est, ut de eadem nemo dubitet. Interea tamen ista notitia non confirmat alteram, et ex eadem aequa minus concludi potest, quod anima conscientia sit actuum suorum vitalium, quam ex omni reliqua notitia tam infantum quam adultorum per sensus acquisita, de qua accuratius ipsis constat, cum admissa hac notitia eiusque conscientia nondum concedi possit altera.

§. XXIII.

Sicuti autem modo memoratorum argumentorum leuitas facile ostendit, sententiam hanc, animam conscientiam sibi esse, quod motus vitales dirigat, neutiquam curae cordique ipsis fuisse. Ita idem magis adhuc confirmant plurima loca, quae praesertim apud Cel. ST AHLIVM reperiuntur, quibus pro sententia ista, quod anima neutiquam conscientia sibi sit, se vitales actus administrare, acriter decertat. Quamquam autem, serio, ut mihi videtur, credunt, animam ista destitui conscientia; interea tamen varias afferunt rationes quibus euincere student, quod anima rationalis hoc non obstante motus vitales actu instituat, neque hunc defectum ipsi obesse, quo minus eosdem ideo peragere queat.

Exe-

Exequi hoc adgressus est potissimum Cel.
 STAHLIVS omnibus locis supra §.
 XXI. allatis, praesertim autem *Sciamach.* p.
 105. vbi variis argumentis illud confirmare
 ntitur, sed quam feliciter nunc dispiciam.
 Inquit autem *cit. loc.* Vir Cel.; *Supereft ut*
aliquid adbuc subiiciam de illa obiectione, quae
vulgo hic opponitur, nempe, quod, si anima ipsa
perpetraret actus motorios, conscientia aut memor
vtique esse deberet eorundem. Circa quam
 thesin, antequam vltterius progrederior, id
 tantum monendum puto, me minime ad-
 struere velle, animam omnium suorum
 actuum semper recordari, quod experien-
 tiae repugnat, qua satis constat, multos
 actus, circa quos versatur, memoria rursus
 excidere, licet pro ratione circumstantia-
 rum negari nequeat, quod interdum ab
 ipsa custodiantur. Quare me neutiquam
 ferit, quando Vir Cel. demonstrat, animam
 harum vel illarum rerum, quas commisit,
 memoria destitui. Qua praemissa huius
 theses limitatione, videamus, quomodo
 sententia ista probetur: *Quam parum au-*
tem, inquit, haec difficultas obſtet ipsi veritati
facti, colligi et agnoscipoteſt ex his rationibus
D Quod anima nullius rei conscientia esse possit
(præfiguratione phantasiae) aut recordari seu
me-

meminisse (*Phantasia iterata*) nisi talium, quae
 figuraciones crassiores et locales crassiores
 motus admittunt, atque subeunt: Quales autem
tam partes tenerrimae per quos motus proce-
dit, quam actus ipse motus, qui in has inducitur,
non admittunt, aut illis quadrant et respondent.
 Non male suam collocasset operam Vir Cl.,
 si vtramque thesin indubitatis rationibus
 certam reddidisset, debiteque confirmas-
 set, cum certe adhuc nimis dubia sit, quam
 ut simpliciter admitti queat. Imo enim
 prorsus abnuo, quod anima nullarum re-
 rum conscientia esse possit, nisi eiusmodi, quae
 figuraciones crassiores et locales crassiores
 motus admittunt, atque subeunt, cum cer-
 te omnium illarum rerum habeat conscientiam
 circa quas versatur, siue praefigura-
 tiones crassiores et locales crassiores motus
 admittant, siue eorundem sint expertes.
 Animam enim sibi conscientiam esse, quod ra-
 tiocinetur, quod abstrahat, quod disponat,
 quod adpetat quod auersetur, quilibet in
 se ipso satis manifesto experitur, licet de
 actibus hisce minime habeat crassam praefigurationem euidenti argumento, ad
 conscientiam animae neutiquam requiri,
 ut versetur circa res crasse praefigurabiles.
 2) Quod si etiam verissimum esset, nullius
 rei

rei conscientiam sibi esse animam posse, nisi eiusmodi, quae figuraciones crassiores et locales crassiores motus admittit atque subit, demonstrandum tamen adhuc foret, quod motus vitales non sint eiusdem conditionis, ideoque animae, quando eosdem instituit, nullam eorum conscientiam suppetere. Quod enim vel partes, per quas motus procedit, vel actus motus, qui in his introducuntur, eiusmodi figuraciones crassiores et locales crassiores motus non admittant, aut illis quadrent et respondeant, id veritati aperte repugnat. Quantum enim ad partes, per quas motus procedit, minime sunt tenerimae, ut Vir Cl. asserit, sed satis crassae atque ampliae, ut figuraciones crassiores atque locales crassiores motus sufficientes subire queant. Nonne hic praesto sunt Cor, Ventriculus, Hepar, Canalis Intestinorum etc. etc.? quae partes crassitie atque magnitudine partibus quibusdam externis minime cedunt, quarum ope voluntarii motus instituuntur, ut itaque culpa in easdem conferri nequeat. Quod autem motus concernit, ipsum pariter satis fortes atque crassi sunt, ut anima præfigurations de iisden acquire re sibi possit; sic enim motus cordis mini-

L

me

me leuis est, sed tantus, vt in statu etiam sano ab extra percipi possit, id quod non minus de arteriarum pulsū constat, et cum Ventriculi motus tantus sit, vt alimenta ad faciliorem concoctionem commouere queat, nec non ex cuitate sua expellere, nullum certe remanet dubium, quin anima sibi etiam conscientia esse possit, quod actus hosce administraret, si actu eos administraret. Facile itaque ex dictis apparet, omnes hasce excusationes nullius esse ponderis, neque nodum, quem extricare debebant, vt par est, soluere.

§. XXIV.

Specialem quidem adfert instantiam, vt argumentum adductum confirmet Vir Cel., dum inquit: 2) *Quod idem valet de strutura corporis, quae cum similiter fiat, per longe minimorum successiuam appositionem, pariter hoc respectu nullam praefigurationem seu veluti depicturam subire potest.* Verum eadem neutiquam tollitur, quod praecedenti iam ~~so~~ numero primo ei obiectum est, et si vel maxime ea hoc loco admitterentur, nihil tamen inde lucraretur assertum, quod anima sibi non possit esse conscientia motuum, quos construendo corpori impendit. *Quod enim haec appositio successiva sit,* nil

nil obstat, quo minus ab anima intelligi possit, cum potius eo quod successivae absoluatur, adhuc magis apta reddatur anima, ut animaduertat, ab ipsa dependere eosdem omnes, quandoquidem ita totum processum eo accuratius obseruare atque annotare potest, et dum ita secum habitat, non potest, eius conscientia destitui, quod ab ipsa proficiscatur, siquidem et in motibus momentaneis, qui reuera ab ipsa instituuntur, conscientia non destituitur, dummodo ad eos attendit. Et licet per longe minima haec fiat appositio, hoc tamen conscientiam totius actus non tollit. Fac enim ipsi ignorantiam esse materiam, nec praefigurationem subire posse, interea tamen nosse posset, quod materiam quandam addponat, quod motus eum in finem dirigat, adeoque conscientia omnino sibi deberet esse, quod in hoc negotio occupetur. Ut ideo ex defectu praefigurationis longe minimorum neutiquam concludi possit, animae actus huius, dummodo illum administret, conscientiam deesse.

§. XXV.

Nec tertia ratio aliam ob causam allata est, quam ut primi argumenti veritatem comprobet atque firmet, id quod ex ipsis

L 2

Vi.

Viri Celeb. verbis clarissime apparent. Pergit enim c. l. 3) *De conformatione vero aggregati totius aggregati seu integrarum partium organicarum, quod non recordetur anima in causa est* 1) *quod hae conformationes ita longissimo tempore lentissime fiant, ut illarum neque perpetua aliqua idea ita formari possit* 2) *neque primae illarum informationis memoria maneat, ob diuturnitatem temporis aequae, atque pariter ob valde paruae molis prima initia eiusdem operationis.* Verum nec haec sufficit, vt extra dubitationem constituantur assertum. Cum enim hae conformationes diuturnum sibi depositant tempus, euenire aliter nequit, quin firma aliqua idea de iis formetur, quandoquidem, quod non uno actu impetratur, sensim acquiritur, vnde licet hae conformationes lentissime fiant, diuturnitatis tamen subsidio cognosci possunt, vt adeo necessario anima ob longum tempus, per quod in hac conformatione occupatur, necessario conscientia redi et admoneri debeat, quod ipsa illas dirigat. Quod autem rationes allatae prohibeant, quo minus prima illarum informatio memoriae infixa maneat, maximopere ipsi probandum erit. Nam quamuis diuturnitas temporis memoriam rei

rei animo iterum delere possit, illa tamen locum non habet, nisi quando quis diu ab ista re penitus remouetur, neque eandem a longo inde tempore tractauit, quod autem de hoc casu dici neutiquam potest, ipse enim Vir Cl. affirmat, quod anima rationalis nonsolum conformatio*n*i*on*i*m* in vtero semper praesit, eandemque dirigat, sed etiam extra uterum nutritionem corporis administraret, quam nil aliud esse defendit, quam continuatam formationem siue successiua*m* minimorum appositionem, ut itaque ex propriis Viri Cel. assertis certo relinquatur, diuturnitate temporis excusari non posse, quod anima nequeat habere conscientiam conformatio*n*i*on*i*m* quam perficere dicitur, cum vi dictorum semper circa eandem sit occupata. Et licet initia eiusdem operationis mole valde exigua sint, nihil tamen hoc eius notitiae obstat, quandoquidem anima tunc temporis huic rei vnicet et quidem maxima cum sollicitudine intenta est. Praeterea in progressu operationis negotium in maiorem semper molem excrescit, vnde non potest non conscientia sibi esse anima, quod conformatio*n*i*on*i*m* integrarum partium organicarum instituat, quod si supponitur, eam circa eandem occupatam esse.

§. XXVI.

Instat autem Vir Celeb. suam thesin probando, atque scribit: 4) Quod anima non solum multa agat in corpore et per organa corporea, quorum neque quod agat, neque quomodo agat, distincte conscientia sibi sit. (vt Directio-
nis et qualiscunque administrationis omnium voluntariorum motuum; Iudicationis et digno-
tionis aequae atque agnitionis odorum, saporum,
colorum, sonorum, iucundi, aduersi etc.) 5)
sed etiam sui ipsius quid sit, ubi (exquisite) sit, et
quomodo ibi sit, cur velit, quomodo (exquisite)
velit, aut maxime non velit seu auersetur. Quo-
modo rationem et ratiocinationem exerceat.
Imo quod cogitet eo momento, quo cogitat:
Quaenam sit proportio inter se et corpus suum
organicum etc. etc. nullo modo conscientia sit, ne-
dum ut eorum recordari valeat. Verum
nec istae rationes tanti sunt ponderis, vt iis-
dem animam suarum operationum in mo-
tibus vitalibus conscientiam esse non posse, ve-
re perficiatur. Quantum enim priorem
concernit, nempe quartam rationem, ma-
nifesto veritati vim infert Vir Celeb.; quod
statuit, animam multa agere in corpore per
organa corporea, quorum quod agat, di-
stincte conscientia sibi non sit; Est enim adeo
certum, animam distincte conscientiam sibi
esse,

esse, quod agat, ut ex hac conscientia vnicē ipsi innotescat, se istos actus perficere, et quanquam modus agendi interdum ipsi distincte perspectus non sit, eo saltem tempore quo agit, hunc tamen, si debite attenderit, probe etiam cognoscere potest, optimēque percipere, qua ratione in actibus suis versetur. Quod si ipsi etiam interdum operandi modi conscientia deesset, propterea tamen abnegari nequit, ipsam cognoscere quod agat, id quod iam sufficit, ut demonstretur, animam in administratione motuum vitalium eius conscientia non esse destitutam, si vere eosdem dirigit. Nec video quo iure allata exempla thesin stabilire valeant, cum aperte veritati contradicant. Animam enim directionis et qualisunque administrationis omnium voluntariorum motuum sibi conscientiam non esse, falsissimum est. Siquidem contrarium omnium hominum consensu confirmatur; neque existimari potest, vniuersum genus humanum semet ipsum ita traducere, ut nunquam vere obseruet, quid et quantum, anima valeat in administratione motuum voluntariorum. Pariter nec assequor, quo fundamento Vir Cel. animae conscientiam iudicationis et dignotionis aequa at-

que agnitionis odorum, saporum, colorum, sonorum, iucundi, aduersi eripere queat, cum sane et hic reclamet experientia, qua certi reddimur, quando odorem, saporem, colorem, sonum, iucundum et aduersum percipimus, quod omnia haec agnoscamus, et satis nobis consciis simus, quod ea dignoscamus, si que de iisdem iudicamus, nouerimus, quod illud etiam aetū praestemus. Neque crediderim, hac quendam conscientia vñquam destitui, dummodo debite ad operationes hasce attenderit, vnde sequitur, animam, si motus vitales administraret, necessario, quod illud faceret, non ignorare posse, etiamsi de modo nihil haberet exploratum. Quod autem ad posteriorem rationem, quintam nimirum, attinet, plurima sane plane incongrua continet, ex parte etiam veritati prorsus contraria. Nemo non enim inconuenientem existimare debet probationem istam, quando de anima quaeritur, an aetuum suorum conscientia, cum propterea ei conscientia illorum negatur, quod sui ipsius, quid sit, vbi sit, et quomodo ibi sit, cur velit, quomodo velit, aut maxime non velit seu auersetur, quomodo rationem et ratiocinationem exerceat, quaenam sit proportio inter se et corpus suum

suum organicum nullo modo conscientia sit. Sunt enim omnes illae circumstantiae plane diuersae ab illa, quae in quaestione versatur, vnde negata licet omnium recensitatum circumstantiarum conscientia, nondum ipsis denegari potest, quod conscientia sibi sit, se motus suos administrare, quandoquidem ista cogitatione reflexa frui potest, si vel maxime omnium illarum circumstantiarum conscientia esset destituta, quod tamen posterius multa adhuc indiget demonstratione. Quando autem Vir Cel. affirmat, animam sibi non conscientiam esse, quod cogitet, eo momento quo cogitat, quilibet facile perspicit, quantum a vero aberrat, cum nemo hominum sanae caeteroquin mentis ea careat conscientia, et non solum eo tempore, quo cogitat, norit, sed etiam pro ratione obiectorum longe licet tempore intericto, adhuc conscientia sibi sit, quod de hac vel illa re cogitauerit. Ut itaque facile appareat, quantam rationes istae habeant vim, ad hypothesis confirmationam.

§. XXVII.

Atque sic satis superque, quod spero, commonstratum est, animam rationalem, omni virtute regulariter mouendi partes

L 5

vita.

vitales plane esse destitutam, nihilque ipsi
 supereesse, quam actiuitatem in specialibus
 quibusdam casibus easdem turbandi, quae
 tamen non sufficit, ut ea propter *principii vi-*
talis titulo condecoretur. Aliis igitur di-
 iudicandum relinquo, quo iure Cl. A L-
 BERTI *Specim. Med. Theol.* p. 93. seqq.
 afferat, illos laedere conscientiam suam, qui
 ipsius sententiae non adstipulantur, sed
 contrariam defendunt, cum potius, ut ex
 dictis constat, affirmandum sit, ipsum Vi-
 rum Cl. laedere conscientiam suam, quod
 eiusmodi dogma defendat, aliisque instil-
 let, quod omni experientiae aduersatur.
 Vnde etiam non omnibus, qui ab Hypo-
 thesis Stahlianis ceteroquin plane alieni
 non sunt, se ita probat, ut prorsus ei sub-
 scribant, sed longe mitius sentire incipient.
 Comprobant hoc luculenter, quae nouus
 Apollo, Vir omni laude maior, Cl. puto
GOELICKE, *Triade Disquisit: Physiologico-Pathologicarum, qua spiritus animales*
ex foro medico relegat. p. 63. profert, quando
 inquit: *Imo potius saluti et conseruationi œco-*
nomiae animalis praesentissimum attulisset da-
mnum atque nocumentum, si anima directum et
immediatum in actus quosuis vitales et natura-
les dominium obtinuisse - - Quare indire-
ctum

etum et mediatum pro finibus eius obtainendis imperium poterat sufficere, ut regulari modo i.e. secundum praedictas temporis, ordinis, loci, gradus etc. circumstantias singuli actus vitales succedere possent. Quibus verbis satis dilucide significat, animam ex mente sua, neutiquam directum in vitam motusque vitales imperium exercere, idemque immedia te non administrare, sed occasionaliter id tantum fieri, eaque propter effectus ipsi adeo simpliciter adscribi non posse, prout Cel. ST AHLIVS atque ALBERTI autumant. Sed fortean et haec sapiunt heterodoxiam, impingunt in religionem medici, atque laedunt conscientiam. Caueat ergo sibi vulgus Medicorum ne istiusmodi dogmata imposterum defendat, sed potius ea amplectatur, quae a Celeberrimis hisce Viris proponuntur, quo Medici rationalis titulo una cum iis superbire possint.

CAPVT

CAPVT III.

DE

ANIMAE RATIONALIS
MOTVS VITALES IN STA-
TV MORBO SO ADMINI-
STRANDI POTENTIA.

§. I.

EA sane quorundam Eruditorum existit
indoles atque solertia, vt admisso quo-
dam errore, non statim, licet admoniti, ad
fruges reuertantur, vitiumque corrigant,
sed omnem potius moueant lapidem, vt
quicquid semel adoptarunt et afferuerunt,
pertinaciter tueantur et vrgeant. Quo
ipso autem nihil aliud efficiunt, quam vt
nouos gignant subinde errores, atque se
tandem inuoluant difficultatibus, quibus
se extricare aut liberare nunquam possunt.
Non aliter comparatus esse mihi videtur
Cel. STAHLIVS vniuersusque sta-
blianorum chorus. Hi enim postquam
paradoxam illam sententiam defendere,
semel secum decreuerunt, animam ratio-
nalem vitalium motuum esse directricem,
non sufficere duxerunt, eidem hoc officium
in sano statu deferre, sed istam etiam in
mor-

morboſo ſtatu tanta vi inſtruere, praecla-
rum crediderunt, vt ipsi etiam motus praet-
er naturam occurrentes adſcribi poſſent,
tametsi id omni experientiae, ipliusque
animae intentioni, ſcientiae atque conſcien-
tiae aduerſetur. Plena ſunt huius do-
gmatiſ ſcripta horum Cl. Virorum, vnde
ne quaedam iplis affinxiffe videar, quae ſibi
impingi nolunt, propriis Clariffimorum
Virorum verbiſ adductiſ eorundem ſen-
tentiaſ recitabo.

§. II.

Audiamus itaque initio iplum Cel.
S T A H L I V M Pathol. p. 64. ſeqq. ita diſ-
ſerentem: Motuum ratio, quatenus praeter
ordinem naturalem in corpore confiſciū faci,
vel incommoda vel pericula formant atque fo-
uent, perpendenda omnino venir dupli ci hoc in-
tuitu, nempe primo vnde pendeant, an ſimpli-
citer praeter naturales, peruerſi, ab ipſo morbo
ita corrupti exiſtant, et physico quodam ſucceſ-
ſu morbum ſequantur, atque materialibus ne-
xibus aliter ſe habere non poſſint: adeoque ve-
ro uſitato ſenſu Symptomata, nempe partium
laefarum etiam laefae actiones exiſtant: An
vero contra, ſaltem ordine morali, finali, non a
corpore aut ſimpliſter per corpus, ſed propter
uſus, imo neceſſitates corporis, ut viui, ut conſer-

MAR

uandi, tales contingent: Duo opposita ratione ad materialem constitutionem corporis et praesentis morbidae dispositionis materialis instituendi solum atque perficiendi veniant, eo ut illi materiali constitutioni morbidae contrarientur, eamque subigant aut exigant. Priorum certe, vere ita Symptomatico morbis iunctorum motus vittiorum, non ita multo sunt numero; et consistunt insuper omnia, vel in privatae mobilitatis partis affectae imminutio, (ad quam etiam continentiae proportionatum moderamen pertinet) vel in directionis voluntariae per organismum deprauatum impeditio. Contraria vero re vera, ut alias etiam contrariorum, est ratio motuum illorum, qui dicto respectu potius contra materialem dispositionem morbidam actiue atque efficaciter instruuntur, siquidem hi et ordinarie materialem laesionem nulla physica necessitate sequuntur, et a parte veluti immediate affecta, alieniores passim sunt: Et latius longe patentes, non solum ratione ambitus, sed etiam totius passim situs: adeo ut etiam aliquibus exemplis, vel in loco parti materialiter affectae opposito, hi motus celebrentur. Quod iam supra ubi de vera differentia symptomaticum verbum dixi, admonui, hic necesse habeo repetere; illud nempe, quod sedula distinctione instituenda sit, inter hos virosque tam diuissimae

siſſimae originis et indolis motus A praeternaturali causa et P R O P T E R praeternaturalē causam fientes, quorum illi paſſui ſimpliciter, ſublata cauſa ſimul tollendi, per hos autem ex aduerſo, ipſa cauſa tollenda, adeoque illi ad huiusmodi effectum obtinendum recte ſolum inſtruendiveniunt. Hi de quibus hoc poſtremo loco atque ſenu ſermo eſt, ſunt ipſi vitales mo-
 tus, ſpecie quamplurimum ordinarii, certe vero genere vniuerſim ordinarii. Interim ſecun-
 dum praefentis alicuius materialis conſtitutio-
 nis proportionem gradu et ordine, ſucceffu atque methodo ita variantes, uti proportioni finali ad praefentis conſtitutionis materialis comparatio-
 nem competit. Dico finalē proportionem, vi-
 delicet ut quadret intentioni depellendi et expel-
 lendi rē materiales noxias per motus ſectato-
 rios et excretorios ad materiae ſubſtratae indo-
 lem accommodandoſ. Hi tales motus ita in-
 ſtituti atque gubernati, ſunt unicum remedium
 et instrumentum domesticum naturae, quo illa
 exteriſ materialibus praefidiis non ſolum de-
 ſtituta, ſed illis etiam minime adſueta, absolute
 et unice opus habet, ad liberandum corpus
 ſuum, a cauſis morbi feris, etiam praeter natu-
 ram, nempe gradu, aut ſpecie ſtatui ſecundum
 naturam inuſitatis, minime vero toto genere
 ſtatui ſano incognitis. Vnde, ſicut etiam in

quām

quam maxime sano statu, causis in genere similibus, etiam motibus in genere paribus, perpetuo succurrit et occurrit, ita etiam in causis specie et gradu auctioribus, auctis gradu et gubernatis decente ordine paribus motuum actibus consultit sibi atque corpori suo subuenit. Et hoc quidem felici cum successu et exitu, quoties actiuitas causae in quantitate et qualitate non est penitus enormis. Nec ipsi etiam intentioni aequa, atque ordinis seruandi constantiae peculiaria impedimenta atque perturbationes obiciuntur. Eandem sententiam proponit Diff. de Autocratia Naturae. De Paradox. Med. Praecip. Progr. de Synergia Naturae in medendo, aliisque in locis. Consentit cum eodem Cl. ALBERTI dum fundamentis Pathol. Med. §. LXVI. inquit: Evidem vero communem frequentem et principalem morborum causam efficientem non aliam nisi naturam agnosco, quae extraordinaria tali motuum vitalium administratione et directione, in genere scopum corporis conseruationi praeuisum et salutarem prosequitur. Ex quibus haetenus citatis adparet Viros Cl. in ea versari opinione motus corporis nostri praeter naturales, ab anima rationali siue natura ortum trahere, quae cum nil nisi corporis salutem quaerat, hisce etiam motibus

tibus nihil aliud intendat, quam ut materiam morbificam, quae corpori damnum aut interitum minatur, iterum eliminet. Cumque ita motus praeter naturales explicent, longe etiam aliter, quam hactenus factum, de morbis in genere sentiunt. Asserit enim Cel. STAHLIVS *Morbum esse motum ab ipsa Natura materiam perniciem expugnandi gratia suscepit ideoque ad conseruationem vitae necessarium, uti refert BARCHVISEN de Med. Orig. et Progr. p. 582. et Cl. ALBERTI Fundam. Pathol. Med. §. XV.* inquit: *quod plurimi morbi sint ille status extraordinariae motuum vitalium administrationis a natura susceptae, pro saluando corpore necessariae: aut ut magis paradoxus compareat sensus, morbus plurimum est id, per quod homines a morte id est a corruptione praeservantur et saluantur: vel extraordinaria naturae actiuitas vitalis mediante qua proximiores laesiones ipsa ita prosequitur, quo corpus pristinae sanitati restituatur.* Quam sententiam ad singulares etiam morbos, quos describendos sibi sumunt, applicant. Sic e. g. aiunt, per inflammacionem, quotiescumque formatur, certissimum est, intendi vel certe obtineri causae eximiae laesurae excussionem. Quod

M vero

vero haec actio ad conseruationem corporis vtique tendat, et ita inflammatio, vbi cunque incarceratus sanguis ad corruptionem ruit, vtilis omnino sit actus, inde maxime luculenter intelligitur, quia si inflammatio non fieret, absoluta putredo i.e. mors et corruptio illius partis in qua corrumpitur ineuitabiliter sequatur. Quae cum directum oppositum sint vitae, conseruationis nimirum mixtionis et structurae corporis, quicquid ipsis apponitur, ad salutem corporis institutum esse, iusta consequentia colligitur, vti statuit Cel. STAHLIVS *Diss. de Autocratia Naturae.* Ita morbi conuulsiui iuxta CL. ALBERTI *Pathol.* p. 286. eum in finem instituuntur, quoniam natura per hos motus aliquam promotionem et emotionem in extremo gradu prosequitur. Et Christ. WEISBACH in der wahrhaftesten Cur aller Krankheiten p. 4. inquit: Was ist wohl gemeiner als daß Kinder, so mit Würmen geplaget sind, und bey welchen jetzt die Kindes-Blättern und Masern ausbrechen sollen, Sichter und Convulsiones bekommen? Wer wolte aber so einfältig seyn und glauben, daß die Würmer in den Gedärmen, oder die giftige Materie

rie im Geblute dieses heftige Spannen und Ziehen in den fleischichten Theilen solcher armen Kinder machen? Ist es nicht vielmehr handgreiflich, daß die sorgfältige embige Natur selbst dies gewaltsame Zucken und Ziehen in den Gliedern nicht ohne erhebliche Ursache vornimmt, um dadurch die so beschwerliche Würmer oder die so gefährliche Materie der Blättern auszustoßen, und ihrem Leibe Sicherheit davor zu schaffen? Indem man augenscheinlich siehet, daß die Natur mit diesen gewaltsamen Spannen und motu conuulsu nachlässt, und sich zu frieden giebet, so bald die Würmer aus ihren Lager vertrieben sind, oder die Blättern zum Vorschein kommen. nec minus de Epilepsia hysterica eadem ratione iudicat p. 155. dicendo: Wenn die fallende Sucht dazu kommt, so thut die Natur ihr äusserstes, und wendet im Ziehen und Spannen der Fäserlein in den fleischichten Theilen ihre grösste Krafft an; ob es möglich sey das Geblüth, welches unter den Stocken der Fäulniß nahe ist, wieder in seinen rechten Gang zu bringen, oder sie erreicht sothane Eichter und macht solche Grimacen aus lauter desperation und

M 2

will,

will, daß es entweder gehen oder brechen soll. Sic Apoplexia, Paralysis aliisque morbi oriuntur iuxta Cl. ALBERTI Pathol. p. 425. *Quando anima hominis propter imminens vel praesens senium, vel propter praegressas multas eneruationes sive cum mortalibus exercitiis sive cum voluntario motu commissas, vel propter repentinum quoddam periculum aut grauem corporis sui et sensibilium partium laesionem et offensionem, vel propter subitaneam consternationem et confusione, aut certarum partium et organorum vitalium depravationem motus suos tam vegete continuare non potest.* In genere adhuc notanter de iisdem loquitur Cel. STAHLIVS Progr. de Synergia Naturae in mendendo. dicens: *Sin impeditur a materiae morbifcae conditione anomala, viarum viio, humorum ad corruptelam praedispositione, aut perturbetur in intentione vel actione per confusiones vel auocationes patheticas aut per imprudentes sive simulationes vel cohibitiones medicas.* Tunc perperam succedit pugna seu reactio contra morbum, praeualescit nocumentum, trepidatur, deseritur statio, fit fuga. Si vero ipsamet haec energia a priori peruersa, et malis consuetudinibus corrupta sit, ut nihil placide, nihil attente, nihil assidue, nihil ordinate, nihil

nihil tempestiuē, nihil patienter perficere et agere suscipiat, sed turbulente, vagabunde, atrociter, praepontere moliri docta sit, aut trepidē anxie, quid agendum, dubitet, quomodo agendum in confusione non inueniat, quando agendum p̄ae trepidatione non pensaret, quibus viis et organis commode perficiendum p̄ae inconstancia non deligat: ibi incongruae intempestiuæ, inconstantes, irregulares immoderatae commotiones mox desperabunda quiete obſignantur. Vide et Cel. STAHLII Dissert: *Sistens theoriam mortis medicam.* theſ. 2da. Quando autem animae energia plenarie fatiscit, lassitudo superuenit, viresque eius amittuntur, vti loquitur Cel. STAHLIVS iam iam cit. Diff. p. 12. tunc ipsa mors accedit vitaeque scenam claudit.

§. III.

Atque haec sunt egregia illa effata, quae Viri Cl. de animae potentia producendi motus irregulares per eosdemque corpus saluandi excogitarunt. Numne vero potius melancholicorum insomniis aequiparentur, quam quod pro decretis serio prolatis existimentur, aliis diiudicandum relinquo. Mihi certe valde insolens videatur, fingeretalia de anima et tot notabili-

M 3 bus

bus praefigurare atque describere circumstantiis, cum tamen istae animae nunquam perspectæ fuerint, aut in mentem venerint, nec a quopiam vnuquam obseruata sint, sed vnicce ex circumstantiis quibusdam peruerse intellectis et detortis colligantur, vel potius singantur. Quemadmodum autem nullum assertum tam paradoxum existit, quod fuso ratiuncularum speciem quandam veritatis mentientium illiniri non possit, ita nec Viris Cl. deficiunt, quibus veritatem commenti, se aliis persuadere posse, sibi videntur. Vtrum autem eiusmodi sint, quibus tuto acquiescere licet, ex mox dicendis apparebit. Ad numero illis præ ceteris rationem quam Cl. ALBERTI *Physiol. Cap. I. de Natura Thes. LXXX.* affert, et quae inter illas, quas pro veritate sententiae suae, quod anima sit principium vitale, proponit, octauum locum occupat. Ita se illa habet: *Octauo confirmat animam naturam esse consideratio tot alterationum in ordine vitali in dies occurrentium, quo ad motuum sanitati nihil praeiudicantium progressus, sed sua sponte in iustum ordinem atque gradum transeuntium, quae directio et dispositio corpori ut machinae non imputanda est, sed ab aliori principio pendet.*

det. Verum enim vero omnes eiusmodi alterationes plane non euincunt, animam ad illa negotia concurrere. Transitus enim earundem in iustum ordinem sua sponte contingens, corpori ut machinae omnino imputari potest, neque opus est, ut altius principium anima nimurum rationalis in subsidium vocetur, dummodo in ueteratum illud exuatur praeiudicium, quod corpus plane iners sit atque passuum. Nihil enim video, quid impedit, quo minus sanguinis circulus sub veherentiori motu auctus ad ordinarium statum sine concursu animae redire possit, nisi asserere velim, quod sublata licet atque eiecta causa, quae cor atque arterias ad celeriorem motum impulit, partes illae nihil tamen minus motum istum continuare debeat, neque propria virtute naturalem atque vi structurae suae consuetam contractionem atque dilatationem resumere possint, quod sanae tamen rationis principiis contradicit, cum sublata causa tollatur effectus. Multo minus credo, partes nostras inferiores atque ignobiliores esse aliis corporibus naturalibus, quae de consueto suo statu vi quadam deiectae atque deturbatae, propria actiuitate ad eundem reuer-

tuntur, vti sunt elateres nimium expansi atque compressi, vel corium diductum, aut lana compacta, aliaeque res naturales, quae tamen omnes, nemine forte repugnante, nullum comprehendunt spiritum, qui hoc efficiat. Quare non immerito concludo, alterationum vitalium spontaneum in iustum ordinem transitum sine concursu animae rationalis fieri posse, et nisi contrarium solidius probetur, actu etiam contingere.

§. IV.

Prodeat itaque aliud argumentum thes. XCI. dicti capit is adductum, quod hunc in modum proponitur: Notandum est decimo sexto, quod repentinae consternationes et confusiones animae rationalis ad repentinae alteraciones immo amissiones plenarias motuum vitalium contribuant, dum homines ex repentino gaudio, ira et terrore confestim extincti obseruantur, ubi frustraneum erit, per irritas ambages spiritibus hanc priuationem adscribere tanquam non entibus, quorum nulla sunt praedicata. Saepius hocce etiam argumentum memorat Cel. ST A H L I V S in scriptis suis vti e. g. Pathol. p. 47. Ast quamquam hoc phænomenon omnino ab anima proficiscatur, sicque eidem effectus isti

isti in corpore contingentes iure etiam adscribendi sint, capit is tamen praecedentis §o. XIII, qua nonum examinaui argumentum, sufficienter, quod spero, iam deduxi, nihil eodem, quod ipsorum causae faueat, posse inferri, quandoquidem non continent ab anima destinante dirigente, ut omnibus hominibus notissimum est, sed vnicce propter arctam eius cum corpore connexionem, excitantur, quae etiam efficit, ut motus turbulenti in corpore, quando et quamdiu anima affectibus abrepta est, velit nolit anima, necessario sequantur. Adhaec stolida, corporisque sui primaria censenda foret destruetrix, si ipsa data opera tantum corpori afferret damnum, et corpore quantuncumque rectissime constituto atque integerrimo agens illud nude a priori actus suos desereret atque omitteret, quod fieri assertit Cel. S T A H L I V S, *Diss. de Theoria mortis medica Thes. IIda in fine;* in repentinis mortibus, corporibus alias satis sanis, immediate velut *επόμηκανς* euidentibus, e nudis grauibus animi pathematibus, terrore, iracundia, gaudio etc. Praeterea cum nulla adsit ratio, quare anima repentinops passa consternationes atque confusiones, easdem ad corpus ex proae-

resi transmittat. Nec video quo iure ex hoc phoenomeno concludi possit, quod anima ordinario irregulares atque inordinatos corporis motus saltem plurimos producat. Locum equidem omnino hic haberet exceptio, dummodo veritati esset consona, quae a Cel. STAHLIO *Diss. de Frequentia morborum in corpore humano prae brutis thes. LIV.* est allata, quando ibidem inquit: *Falsi sunt, qui animi ita dicta pathemata corpus tumultuarie solum concutere atque laedere persuadere nobis contendunt; aberrant, qui ab his quicquam in corpore aut de corpore directe laedi, sibi aut aliis persuadent, siue de humoribus illud intellectum velint, siue de solidis partibus, siue de ipsis ut loquuntur spiritibus.* Cum hac ratione non tantum dilui posset suspicio, quam animae imputaui, acsi corporis sui primaria sit destruetrix, sed et confirmari posset, quod ipsa in bonum finem motus hosce institueret. Verum cum assertum istud Viri Cel. sensuum testimonio plane repugnet, et nemo facile repentinis alterationes atque amissiones motuum omnimodas pro salutaribus motibus existimare possit, praeterea ex iis, quae ipse adduxit Vir Cel. *Diss. de Theoria mortis medica,* innumerisque aliis

aliis locis, imo proxime sequenti thesi LXIV.
dictae *Dissert. de Frequentia morborum etc.*
nullo negotio destruatur, facile appetat,
quantum ipsi deferendum sit.

§. V.

Subiungo huic aliud inter herculea ab
ipsis relatum, cuius mentionem iniicit Cl.
ALBERT I cit. loc. thes. XCV. vbi vi-
gesimum constituit, atque ita exponitur:
Denique vigesimo spontanea morborum expu-
gnatio et exquisita motuum in extraordinariis
casibus directio, ratione materiae, temporis,
ordinis, necessitatis, mensurae, gradus et simi-
lium affectionum commonstrat, quod principi-
um vitale siue natura non obscurum, confusum
aut imaginarium, sed rationale principium esse
debeat: et talis est sine ullo contorto aut meta-
phorico et allegorico sensu natura morborum
medicatrix. Quamquam autem hoc ar-
gumentum specie veritatis quadam mini-
me careat, nondum tamen demonstrat,
anima rationali ea omnia esse adscriben-
da, quae in eodem venditantur. Ipsi
enim Viri Cl. fatentur, omnia hie fieri ef-
fectibus secretoriis atque excretoriis, quo-
rum autem causa efficiens quod sit anima,
nunquam demonstrare poterunt, uti ex ra-
tionibus praecedenti capite allatis, iam sa-
tis

tis superque perspectum est, et praeterea
 a Cel. IO. AD. WEDELIO *Diff. de
 Vi naturae humanae medica Ien. 1725.* habita,
 eleganter atque eruditely demonstratum
 est. Alias equidem adhuc circumstan-
 tias affert Cl. ALBERTI *Fundament.
 Pathol. Med.* ex quibus si recte se haberent,
 omnino inferri posset, quod animae ratio-
 nali spontanea morborum expugnatio sit
 adscribenda, dum §. XXXI. inquit: *Hanc
 spontaneam Medicationem adscribo naturae,
 quae tum proportionum necessariarum conscientia,
 tum motuum vitalium causa efficiens est, nec non
 laesiones occurrentes percipit, et quomodo iis
 succurrendum rationabiliter dignoscit, adeo-
 que facilius corpori laeso prospicit, quam ut
 ipsum laesum corpus sibi auxilium ferre queat
 debeatque. Sed omnes illae circumstan-
 tiae ita comparatae sunt, vt parum vel
 omnino nihil dandum ipsis sit. Quando
 enim i) statuit, animam proportionum ne-
 cessariarum conscientiam esse, certe aliquid de-
 fendit, quod a veritate quam alienissimum
 est. Quis enim erit, qui ex animi senten-
 tia, serioque affirmet, proportionum ne-
 cessariarum sibi suppetere notitiam? fir-
 miter sane persuasus sum, neminem in univer-
 so genere humano deprehensum iri,
 qui,*

qui, hanc sibi datam esse scientiam, gloriari possit. Ut satis mirari Viri Cl. audaciam nequeam, qua id, quod omni experientiae reluctatur, iactare non veretur. Dum autem praeterea 2) ex eo, quod anima motuum vitalium causa sit efficiens idem demonstrare satagit, facile quilibet praeuidet, quam lubrico et infirmo fundamento hocce nitatur assertum, cum ex iis, quae praecedenti capite adduxi, satis dispalescat animae nil minus quam administrationem motuum vitalium competere. Quod dum 3) inde adhuc confirmare studet, quod anima laesiones occurrentes percipiat, et quomodo iis succurrendum rationabiliter dignoscatur, rursus aliquid profert, quod experientiae repugnat, et de quo nemini quicquam innotuit. Evidem non ignoro, maxima contentione ab ipso adseri, animam earum rerum perceptions gaudere, quae intra corpus contingunt, eumque in finem prolixam diuulgasse *Disser.* de *Sensu Vitali Hal.* 1716. habitam, in qua multis rationibus tam a priori quam a posteriori desumtis istam hypothesisin propugnare contendit. At enim vero istae in vniuersum omnes ita comparatae sunt, ut lector assiduus facile subodoretur,

tur, easdem meritis principii petitionibus laborare.

§. VI.

Cum autem non leue praesidium quae-
rat Vir Cl. in existentia huius sensus, idem-
que non exiguum vniuersae hypotheseos
existat fulcrum, hinc quo constet, vera es-
se, quae modo dixi, rationes praeccipuas in
medium producam, omnibus commo-
nistraturus, quam parum causae, quam per-
orare debent, inferuant. Priusquam
vero eas recitauero, necessarium duco, no-
ui huius sensus etiam definitionem praæ-
mittere, cum sine dubio ipsius indeoles non
omnibus satis sit perspecta. Tradit ea-
dem Vir Cl. cit. *Diss. §. II.* quando inquit:
*Est vero nobis vitalis sensus, animae rationalis
operatio, in negotio vñ ali, et subtilis interna et
conueniens perceptio omnium circumstantia-
rum et materialium substantiarum, vel vivium
et necessariarum, vel inutilium et excrementi-
tarum, tam in humoribus quam partibus at-
que viis occurasantium, parium quoad quantita-
tem, partim etiam quoad qualitatem, vel magis
vel minus conuenientium, secundum quam per-
ceptionem postea motus vitales ita ordinantur
et applicantur, ut vel in genere vel in specie ad
salutarem et conseruationi mixtioni animalis*

re-

respondentem finem progrediantur et egrediantur. Quod autem sensatio eiusmodi subtilis aetate detur, documentis quibusdam tam a priori quam a posteriori desumptis efficere contendit. Agmen inter illa, quae a priori existentiam ipsius debent firmare, ducit istud quod §. XIX. c. l. his verbis proponitur: *Circa demonstrationem a priori notandum est, quod totum corpus ita textum et struclum sit, ut sensus per illud diffundi et distribui queant, siquidem nequidem vasa quedam exclusa sunt, ob quarum membranaceam et simul neruositatem texturam commode in iisdem sensatio administrari potest: dum enim nervi proximum sensationis instrumentum materiale sunt, hi vero per totum corpus tam interne quam externe disperguntur, ita per internum, et externum corpus sensus distribui et exerceri potest.* Si itaque internae partes sensu praeditae sunt, necesse omnino est, quo intrinsecus obseruentur diuersa occurrentia objecta, quo diiudicari queant, an corpori proficiant an officiant. Et ut externi etiam sensus subtilioribus objectis exquisite et teneriter percipiendis intenti sunt; ita etiam hic vitalis sensus subtilitates obseruare et penetrare potest, ut, non aequa vehemens et crassus contactus objectorum ad partes sensu praeditas re-

qui-

quiratur, quo minus in subtili et tenerrimo odo-
re tam crassa et cruda organi sensorii alteratio
concipi aut supponi potest. Verum enim
vero vtvt primo intuitu satis speciosum
hoc sit argumentum, incautisque impone-
re facile queat, eoque illos deducere vt Vi-
ro Cl. praebeant assensum; attentius ta-
men excussum, infirmissimum atque a ve-
ritate maxime alienum deprehenditur.
Experientiae enim anatomicae aperte con-
trariatur, totum corpus ita structum esse,
vt veri sensus per illud diffundi et distri-
bui queant. Quamquam enim in omni-
bus etiam internis partibus nerui reperian-
tur, iidemque etiam suo modo perceptio-
nis instrumentum constituant, non tamen
ita nude et simpliciter sensations per eos-
dem fieri possunt, sed requiritur praeter-
ea vt debitum istis in locis, in quibus sensa-
tio peragi debet, obtineant situm, aptaque
gaudeant, constitutione atque structura.
Quibus enim nisi opus foret, nil obstaret,
quo minus aeque facile in extremitatibus
pedis aut thalamis cordis quam in naribus
obiecta odorifera, et eadem promptitudi-
ne in renibus atque sub axillis quam in lin-
gua obiecta sapida possint cognosci.
Quod autem cum neque fiat, neque fieri
queat,

queat, hinc necessario singulari neruorum dispositioni sensationis vis tribuenda est, quam etiam optime indicat Illustr. BERGERVS *Physiol.* p. 324. dum inquit: *Quamuis autem organa eorum (scilicet sensuum) variis constent partibus, quibus obiectorum impulsus suscipiuntur, tamen earum una immediatum vniuersiusque sensus instrumentum constituit, eaque semper quaedam nervi est. extremitas in membranam, papillam, fibrillasque abiens.* Quae verba luculenter declarant, minime omnem neruum omni loco aptum esse ad sensationem, sed illuminantum, cuius extremitas in membranam, papillas, fabrillasque abit. Vbi autem hoc contingit in corpore, et quo loco expansiones eiusmodi aut eleuationes neruum obseruantur? nullibi sane. Ut facile itaque appareat, neruos in internis corporis partibus constitutos minime aptos esse, vt exacta sensatio i. e. debita accurata et distincta obiecti perceptio per easdem fieri queat.

§. VII.

Pergit autem Vir Cl. sequenti §. XX sensus huius existentiam a priori inde demonstrare, quod inter animam et corpus

N

tant

tam arctum intercedat vinculum, ut neutrum horum sine altero esse possit. Dum vero corpus esse debet propter animam necesse esse etiam, ut sit durabile, quo eidem diu et legitime inservire possit. Inservuit autem illud animae, eademque virtutur principalius suo corpore per sensus et inter hos etiam externos, quos sensus post-hac in corporis sui usus confert. Ex his itaque sequenti ratione infert: *Dum vero nunc non modo corpus textum et structum pro commodo animae durabile esse debet, sed omnium maxime mixtio corporis animalis hac durabilitate indiget; dum porro vita non propter se ipsam, sed propter animam est, dum praesente anima praesens est vita, et absente illa haec etiam abest, dum corpus mixtum textum et structum etiam internum variis contactibus a causis materialibus est subiectum, unde corpus vel in sua connexione sustentatur vel laeditur, laesio vero vitae et durabilitati repugnat, ut ilium verò materiarum et qualitatum materialium habitus corpori applicari et in durabilitatis illius commodum conuerti debet, ita per bonam consequentiam sistimus et demonstramus sensus vitalis veritatem et existentiam; praeprimis cum internum corpus ratione structurae suae in genere ad sensationem aequem aptum, et tactui atque*

*que contactui subeundo expositum atque habile
sit.* Ast quam operose etiam haec ratiocina-
tio contexta sit, minime tamen ita eam con-
stitutam esse obseruo, vt per bonam con-
sequentiam et sensus vitalis veritas et exi-
stentia ex ea erui et confirmari possit. Sit
enim, corpus textum et structum pro
commodo animae durabile esse debere,
nec non vitam esse propter animam, cor-
pusque mixtum, textum et structum et
iam internum variis contactibus a causis
materialibus esse subiectum, quae vel re-
mouenda vel applicanda sint, propterea
tamen sensum vitalem neutiquam necessa-
rium esse video, tantum abest, vt inde fluat,
quod actu adsit. Textura enim et struc-
tura corporis nec non vita solo motu se-
cretorio atque excretorio debito, sine praef-
uio sensu interno, conseruari potest, et actu
conseruatur, et contactus causarum mate-
rialium ad corpus internum tam remouen-
darum quam applicandarum nullum sibi
depositum sensum, quandoquidem effectus
iste applicationis et remotionis a solis orga-
nis corporeis eorundemque motibus de-
pendet, vti iam praecedenti capite manife-
sto demonstravi, vt itaque ex omnibus hi-
scie postulatis nullo iure formari queat con-

N 2 clusio,

clusio, ex qua sensus vitalis existentia relinquatur. Quae autem in fine assuitur ratio, quod quoniam corpus internum ratione structuae suae in genere ad sensationem aequem aptum, et tactui atque contactui subeundo expositum atque habile sit; ea pariter omni destituitur fundamento, cum praecedenti §o. iam euictum sit, quod corpus internum ita constructum non sit, ut sensatio per idem absolui possit. Quare vltro etiam corruit, quod tactui atque contactui subeundo expositum atque habile sit. Evidenter tactum non omnino corpori interno denegandum esse, satis confirmare videntur luculentae perceptiones dolorificae; tensoriae, rodentes, vrentes, pungentes aliaeque, quas homines, morbis eiusmodi affecti, quos ista symptoma concomitantur, maximo suo incommodo experiuntur atque sentiunt: At quanquam istiusmodi perceptiones in morbis occurrant, neque adeo infrequentes sint, verum tamen adesse tactum, per quem omnia, quae in corpore sunt atque contingunt, distincte obseruantur tam in sano quam in morbo statu, nunquam demonstrari, neque ex tactu dolorifico colligi poterit. Quod enim tactum internum do.

dolorosum attinet, ne quidem ad sensum proprius sic dictum referri potest, cum uti omnis sensus, ita et tactus consistat in distincta perceptione obiectorum, qua cognoscuntur non solum quid sint, sed ab aliis etiam distinguuntur. Eiusmodi autem perceptionem obiectorum dolorem excitantium animae offerri, nemo unquam affirmare poterit, cum experientia satis comprobet, animam eadem plane destitutam esse. Pulchre sane hoc nostrum assertum explicat atque roborat Cel. BOHINIVS *Circul. Anat. Physiol.* p. 313. quando inquit: *Et profecto si pensitemus, ad quemlibet sensuum externorum absoluendum non perceptionem tantum obiectorum confusam sed tam ac accuratiorem per quam v.g. viride a rubro, triangulum a quadrangulo, dulce ab austero, asperum a laevi discernatur, requiri: affectionem illam qua plura v.g., membrana epatis, muscularum fibrae a quoconque tangibili percellantur, sensationem seu tactum haud vocare poterimus, eo quod per hanc qualitates tactiles a se inuicem haud distinguantur.* Hoc est dolent potius et patiuntur membranae hae tantum rei durioris aut heterogeneae, non tamen sub specie propria scil. asperitatis aut lauitatis, incongruum appulsum: alias acrimonia

N 3

nia

nia humorum sub idea modo frigidae aurae, modo ferri aut carbonis igniti in membraneas partes agens, vel quodvis extenorū, inter qualitates tactiles numerari deberet, quod absurdum. Quae verba satis solide declarant, perceptionem dolorum minime ad tactum referendam esse, adeoque ex eadem colligi non posse, sensum tactus in interno corpore locum habere. Praeterea neque illa ipsa structura interni corporis ita compara-ta est, vt tactui atque contactui vero atque adaequato habilis sit, vti contra omnem experientiam anatomicam Vir Cl. afferit. Postulat enim tactus non nervorum solum praesentiam, sed et potissimum requirit papillas nerveas, hae enim sensus tactus primarium et immediatum sunt instrumentum, atque sine illis nulla distincta fieri potest perceptio, quod vti autopsia facillime ostendi potest, ita consensu omnium celeberrimorum Anatomorum comprobatur. Vid. Cel. HESTERI *Compend. Anat.* edit. 2dae p. 129. Cel. BERGERVS *Libr. de Natura humana* p. 352. nec minus Cel. BOHNIVS *Circul. Anat. Physiol.* p. 315. vbi inquit: denique nulla pars sensu hoc destituta, illis (scilicet papillis pyramidalibus) gaudet, vel cui hae de-sunt,

sunt, tactu pollet. ut et Cel. BOERHA-
VE Inst. Med. §. 481. p. 205. aliquie innu-
meri; cum autem hae in internis partibus
nullibi monstrari queant, manifestum est
tactus sensum in iisdem neque adesse posse,
neque actu existere.

§. VIII.

Argumentis a priori haec tenus comme-
moratis iungit Vir Cl. adhuc tertium se-
quenti §. XXI. his verbis comprehensum:
Accedit et haec consideratio, dum anima per to-
tum corpus est extensa generica sua actuitate
mediante motu, imo dum maxime evidenter per
externum corpus sensatione manifesta operosa
deprehenditur, ut in extimis apicibus et summis
extremitatibus qualescumque occurrentes alte-
rationes subtiliores et crassiores percipiat, quid
quod dum internae partes praे externis non
modo teneriores sed et ad negotium sensationis
aptiores existunt, dum porro internae partes
nobiliores sunt, quam externae, propterea ni-
bil impedit, quo minus etiam internus talis vi-
tali officio subseruiens sensus adsit. Verum
multa adhuc obstant, quo minus sensus vi-
talis his rationibus stabiliri possit. Omnia
enim membra ex quibus argumentum
hocce compositum est, maxima infirma-

te atque imbecillitate laborant. Quan-
do enim asseritur, animam per totum cor-
pus genericam sua actituitate mediante motu
extensam esse, aperta committitur petitio
principii, quandoquidem hoc ipsum pro-
bandum adhuc est, et cum eius falsitatem
tam praecedenti quam hoc capite prolixo
satis demonstrauerim, sensus vitalis ex eo
minime demonstrari potest. Quod au-
tem anima maxime euidenter per exter-
num corpus sensatione manifesta operosa
deprehendatur, id pariter non probat, eam
etiam per internum corpus sensatione ope-
rosam esse. Posito enim uno nondum po-
nitur alterum. Et quod internae partes
externis non modo teneriores sint, sed et ad
negotium sensationis aptiores existant, par-
tim nihil ad existentiam sensus interni
actualem confert, partim etiam aperte fal-
sum est. Teneritudo enim non efficit,
quod ad sit sensus, imo ne quidem quod ad
esse debeat. Ut taceam, ambiguum esse,
num ne partes quaedam externae aequa te-
nerae si non teneriores sint, quam inter-
nae? Maior etiam, quae venditatur, ad
sensationem aptitudo inane commentum
est, proxime praecedentibus sis prolixo
destructum. Ita nec internarum par-
tium

tium prae externis nobilitas indicat; istum adesse sensum, cum a nobilitate vel ignorantia partium non dependeat sensacionis organon atque locus sed ab apta structura. Quae autem cum internis partibus deficiat sensus etiam talis inter figura recenseri debet.

§. IX.

Ex discussione rationum a priori hactenus facta, manifesto adparet, quam lubrico fundamento sensus vitalis existentia nitatur. Itaque iam facile colligitur, ab iis, quae a posteriori veritatem ipsius confirmare debent, meliora et solidiora exspectanda non esse. Superuacaneum autem duco in omnibus illis exemplis et argumentis, quae a Viro Cl. magno numero producta sunt, sigillatim excutientis chartam et tempus consumere, praesertim cum plurima inter se coincidant, quare unum alterumque in medium producere constitui, ex quibus de reliquorum soliditate atque dignitate haud aegre existimari poterit. Eum itaque in finem illud, quod omnium primo fere offert atque chorum ducit, de excretione superfluorum corporis nostri ordinaria agens, statim expendam, prout

N 5

ab

ab ipso §. XXII. his verbis proponitur:
Quod sanitatis statum concernit, negari sane non potest, quantae heterogeneitates vel in corpore generentur, vel intra illud assumantur, quae si corpus saluum et sartum esse debet, absolutare motione indigent; iam vero corporis constitutio materialis ita comparata est, ut impuritatem illae possent subsistere in humoribus, donec illis labem et corruptionem intulerunt, vel in partibus haerere valeant, quia partes extendi aut expandi possunt, vel organa denique plane constringi possent, adeo ut nulla materialis qualitas necessiter harum impuritatum sequestracionem, et illud magnum oportet physico-mechanicum in substrata tractatione solum imaginarium atque obtrusum sit: quo vero in sanitatis tramite eadem constanter et ordinate remoueantur, requiritur totius vitalitatis et sanitatis praescientia in causa illa superiori, quae vulgo Natura vocatur, iuxta hanc administrariur sensus intra corpus, quo hae materiae obseruentur, quando augeantur, quam cito noxam suam minentur, in quos humores vel partes operentur, quando et quantum interficit, ut praeparentur et euiciantur, quo tempore atque ordine dimittantur, quibus locis et motuum gradibus praescribantur, qualem speciem inuolutionis aut præparationis requirant et admittant: et secundum

dum has et plures adhuc alias animaduersiones motus in status sanitatis succedunt et continuant, ut ex effectu ad causam argumentari queamus. Magna et multa sane sunt, quae hic supponit Vir Cl., quarum genuinam et solidam demonstrationem si adieceret, non leuem certitudinem suo argumento conciliasset. Sed satis superque conuictus sum, nunquam idem, ut pareat, praestitum ab ipso iri. Nunquam enim demonstratum dabit corporis constitutionem materialem ita in statu sanitatis comparatam esse, ut impuritates illae possent in humoribus subsistere, donec illis labem intulerunt, vel in partibus haerere queant, adeo ut nulla materialis qualitas harum impuritatum sestrationem necessitet. Est enim hoc experientiae plane aduersum, qua satis exploratum est, partes solidas ita comparatas esse, ut conuenienti tono atque robore ut et motu insito contractorio et dilatatorio praeditae sint, quibus humores nonsolum promouere, sed et superflua eliminare possunt, ita ut, quamdiu vis ista salua et intermerata conseruat, impuritates istae neutiquam possint subsistere, sed propria efficiacia semper actu expellantur. Quod autem partes hae tanta polleant actiuitate, ut de-

denuo comprobem, neutiquam opus esse
reor, cum praecedenti Capite, multis iam
rationibus id confirmatum sit, quas quam-
diu Vir Cl. solide non subruerit, ipsius ra-
tionibus minime me adiungere possum.
Neque hanc actiuitatem impedit ratio,
quam Vir Cl. affert, quod nimirum partes
extendi aut expandi, vel organa denique
plane constringi possint. Hoc enim licet
fieri posse non abnuam, nihil tamen earun-
dem actiuitati expellendi derogat, siqui-
dem hoc loco sermo est de statu naturali,
in quo eiusmodi expansio aut constrictio,
quae impuritatum egressum intercipit, lo-
cum non inuenit, sed debita tantum con-
tractio atque dilatatio obseruatur, quae si
in qualitate sua excescerit, omnino etiam
efficit, ut impuritates detineantur, sive que
morbi generentur, quod autem in statu
morboso tantum locum obtinet; ea pro-
pter tamen corpori in statu naturali iusta
eliminatio denegari nequit. Quapropter
cum ad impuritatum excretionem solius
corporis partiumque propria vis sufficiat,
superuacaneum foret, animam rationalem
tanquam causam efficientem huc accerse-
re, quae praeterea in negotii huius partem
nullatenus venit, neque egregias istas do-
tes,

tes, quas ipsi tribuit Vir Cl. vindicare sibi potest, sicut ipsa experientia vnumquemque docet. Gratulandum certe foret vniuerso generi humano si animae ea insita esset notitia, vt accurate omnia cognoscere valeret, quae intus in corpore geruntur. Nullum enim dubium est, quin hac ratione longe facilius longeque promptius morbi possent depelli. Feliciores itidem cendifi forent medici, quibus tanto cum labore tantaque sollicitudine in veris morborum originibus atque genuinis rationibus peruestigandis elaborandum non esset, cum hac via citra omnem haesitationem intelligere possent, vtrum colica an calculo aut lue venerea aut scorbuto aut ingrauidatione aut hydrope aegrotus labore. Nec obscurum Medico esse posset, quae medendi ratio huic vel illi morbo optime conueniat, quandoquidem de omnibus istis optime ab aegrotis informari posset. Sed longe alia experiuntur tam aegroti quam medici maximo interdum vtriusque taedio atque damno. Ut itaque sensus iste omnia minima perscrutans, admodum dubius atque obscurus sit, et vsque dum in aprico magis collocatur, ad desiderata frumenta merito referatur.

S. X.

§. X.

Non solus autem sanitatis status a posteriori veritatem huius sensus Vitalis ex mente Viri Cl. demonstrat, sed comprobatur eandem etiam sat multis exemplis ipse status morbosus corporis humani, vti ex frequenti numero casuum ab ipso allatorum apparet. Hos inter ipsi non postremum videtur esse exemplum morbus iste, qui vocatur scabies, id quod propriis ipsius verbis, quae §. XXX. ita fluunt, declarabo;

Quando porro ad impuritates humorum respiciimus, tunc placet ex uno et altero documento huius sensus vitalis actiuitatem demonstrare, familiaris ille et molestus affectus, qui scabiem constituit, est huius rei exemplar, quando massa sanguinis per totum latifundium inquinata est, ut non modo externae ignobiliores sed et internae nobiliores partes de transitu impurioris illius sanguinis participant; iam vero impuritas haec in ulcerosam per quam fermentatiuam corruplam valde proclivis est, qualem sese sifit extero conspectui, ut propterea vitaliti penitus contrarietur, si internae partes teneriores et nobiliores cum eadem diu considerentur, unde consultum omnino, maxime conueniens atque salutare est, quo periculosa illa materia extrorsum trans-

transferatur, ut vero superficiem corporis occupe, nulla materialis urget necessitas, et frustra est, vel opinione tantum concipere velle, quasi inter poros cutis et materiam impuram tanta sit proportio, ut haec intra illos recipi, retineri, captari, irretiri et implicari debeat, ut semel in eosdem impulsu tanquam in muscipula decipula aut tendiculis captetur et suspendatur; cum tamen haec materia antea humoribus interagitata fuerit, quin diu per peripheriam corporis transfluat, donec in eandem implicitur, iterumque per repellentia, praecipue vero usum sulphuris retromitti, et e carceribus suis ad interiora transferri queat, ita ut propter has considerationes nulla physica adsit proportio et relatio inter miasma scabiosum et huius translationem in superficiem corporis sed magis moralis ratio attendenda sit, quae maiori aestimatione nobiliorum partium nititur, videlicet, quod tam periculosum et perniciosum non sit, si materia in externa superficie baereat, et corruptelam suam exserat, quam si interna nobiliora viscera detinuerit: quare concludimus quod sensus vitalis hanc materiam peccantem humoribus immixtam percipere debeat, non modo ut aliam, quam quae mixtioni animali competit, sed et ut nobilioribus visceribus valde aduersam, adeoque minime per internas partes excernendas.

su-

superuenit itaque applicatio et directio motuum
 ab intra extrorsum hanc materiam promouen-
 tum, sensibiliores partes ab eadem liberantium,
 qui vero adeo proportionati esse non facile pos-
 sent, nisi praecurreret sensus ille, qui percipit,
 quae et qualis haec materia sit. Nulli forte
 studio operaque pepercit Vir Cl., ut hoc
 argumento existentiam sensus vitalis extra
 dubitationem collocaret, sed oleum ope-
 ramque perdidisse, et gratis omnem labo-
 rem insumissee videtur. Nemo enim vn-
 quam dixerit, materiam necessario ad su-
 perficiem corporis deferri debere, cum
 mediante etiam vrina atque per aluum eli-
 minari queat, sicut etiam ex parte contin-
 git. Interea tamen cum per vniuersam
 humorum massam disseminata, adhaec
 mediante humorum motu ad superficiem
 corporis deferatur, haec superficies itidem
 constituat organon se . et ex . cretorium,
 praetereaque materia omnino apta atque
 proportionata sit, ut intra poros cutis reci-
 pi possit, neque spissitudo ipsius diame-
 trum pororum cutis supereret, hinc positis
 omnibus hisce circumstantiis etiam aliter
 fieri nequit, quam quod superficiem cor-
 poris occupet. Vnde licet nulla absolu-
 ta necessitas huncce transitum ad corti-
 cem

cem corporis vrgeat, dispositio tamen tam materiae quam cutis et reliquae circumstantiae efficiunt, ut nonsolum possibilis sit ille transitus sed etiam aetu physice contingat. Concedamus tantisper omnes hafce circumstantias nondum sufficere, ut materia ad superficiem corporis deferaatur, vndenam constat, moralem rationem attendendam esse, quae maiori aestimatio ne nobiliorum partium nititur, et quod ideo adsit vitalis sensus? certe ne minimo quidem haec translatio indicio existit, eiusmodi quid requiri, multo minus aetu id adesse. Quare quandiu a Viro Cl. hoc rectius non comprobatur, tamdiu nudae ipsius assertioni fidem dare merito recusamus.

§. XI.

Non minus existentiam sensus Vitalis Vir Cl. exaucto motu tonico in imminente aut praesente stagnatione sanguinis spissioris deduci posse autumat, quod his verbis §. XXXIX. declarat: *Quando contingit ut sanguis spissior et immobiliar in una vel altera parte et regione difficilius prograditur, siue fuerit carnosa, siue vasculosa, ita ut non modo in eadem frequentiorem stagnatio-*

O

gnatio-

gnationem subeat, sed et metus incidat, ne de-
nique ominosa stasis oriatur, quid consultius
et utilius forte in tali statu esse potest, quam
ut in eiusmodi locis horumque confiniis reci-
procantes et alternantes constrictiones et com-
pressiones, quae cum augmento toni absoluun-
tur, suscipiantur, per quas sanguis stagnans
et restagnans vegetius transprimitur, eoque
ipso in progressu suo adiuuatur, et imminens
dannum mature praeoccupatur: quo vero
tali gradu et ordine progressus sanguinis pro-
moueri queat; necesse est, ut antea impeditior
sanguinis motus progressius percipiatur, et ex
hoc spissitudo sanguinis obseruetur, et ut porro
regio et pars exquisitius notetur, in qua praec-
cipue sanguis difficilius proficit, quo deinde
non modo efficaces et ad promouendum pro-
gressum sanguinis conuenientes motus appli-
centur, sed et, quo in illa maxime parte exer-
ceantur, in qua praeprimis necessarii sunt.
Quamquam autem recte asserat Vir Cl.,
non inutile esse, ut praesente stagnatione
tonus partium augeatur, et alternantes
constrictiones fiant, cum omnino sanguis
stagnans ita eo facilius propelli possit, ad-
modum tamen claudicat consequentia,
quam format Vir Cl., quando nimirum
necesse esse scribit, ut antea impeditior
san-

sanguinis motus progressius percipiatur, et ex hoc deinceps etiam spissitudo sanguinis colligatur et sic porro. Nulla enim hic ostendi potest necessitas, cum alternantes compressiones cum augmento toni sine perceptione satis egregie possint institui, quandoquidem fibrae musculosae tamdiu semper agunt, quamdiu nondum omni tono atque actiuitate insita destituta sunt. Neque valent aut quicquam comprobant exceptiones, quae a Viro Cl. opponuntur, quando inquit, necessariam ea propter esse perceptionem, quo deinde non modo efficaces et ad promouendum progressum sanguinis conuenientes motus applicentur, sed et quo in illa parte maxime exerceantur, in qua praeprimis necessarii sunt. Conuenientium enim motuum applicatio non indiget tali praescientia, quippe quae in alternantibus compressionibus cum augmento toni consistit. Eae autem, ut paullo ante monui, ab insita fibrarum actiuitate dependent. Neque requirit eadem exercitium motuum maxime in illa parte instaurandum, in qua praeprimis desiderantur, cum partes solidae iam satis ad idem impellantur, atque incitentur a sanguine

ibidem stagnante, hinc premente atque distendente, contra quem, pressionis atque distensionis impatientes fibrae carnosae propria actiuitate insurgunt, atque ob elasticitatem, supra iam demonstratam, se iterum contrahunt, atque hac ratione alternantes constrictiones in ista parte perficiunt. Praeterea, quodsi etiam necessarium videretur, ut anima modo dicta prius perciperet, nondum tamen inde sequitur, quod actu illa cognoscat, adeoque sensu illo vitali praedita sit, quod erat demonstrandum.

§. XII.

Quid autem opus est, ut, sensu huic destruendo, diutius immorer? cum animae humanae ignorantia cum ipso consistere nullatenus queat. Haec enim omnium illarum rerum penitus ignara, minimeque sibi conscientia est, quas ex mente Viri Cl. percipere dicitur, quod tamen summe necessarium foret, praesertim cum omnes illi actus non sint leues atque exigui momenti, sed ad vitam atque corporis sanitatem pertineant. Non dubitat equidem asserere Vir Cl. §. XLII. cit. Diff. sensum huncce nobis insciis operari, eumque in finem

nem varias rationes cūmulare, ob quas anima hanc perceptionem ignoret. Verum enim vero sicuti rationi penitus aduersatur, animam suarum actionum conscientia destitui, ipsique non constare, quae cognoscit, dijudicat et perpendit; ita etiam quando rationes omnes generaliter considero, eas partim adeo infirmas atque imbecilles esse offendō, ut vel sola earundem enarratione et tempus et chartam perdi credam, partim non nouas esse deprehendo, sed easdem repeti, quarum praecedenti Capite §. XXI. seqq. iam satis prolixum institui examen, ut itaque peculiarem inuestigationem non mereantur, cum nihil dignitatis huic sententiae iisdem adiungi possit. Vnde nil addo, quam verba Angli illius acutissimi IO. LOCKII, quibus vanitatem huius sententiae satis accurate describit, quando libro de Intellectu humano II. Cap. I. §. 15. p. 105. inquit: *Saepius cogitare et nunquam illud per unicum momentum in memoria retinere, inanis est et valde inutilis cogitatio, atque anima in eo cogitandi statu paululum aut ne vix quidem speculo praestat, quod varias imagines vel ideas recipit, retinet vero nullas, statim evanescunt,*

O 3

nescunt,

nescunt, et illarum nulla vestigia simulacra nulla remanent, ut tales ideae haud profundunt speculo, ita nec eiusmodi cogitationes animae.

§. XIII.

Sed satis dictum est de hoc chimaericō sensu, qui rectissime monente Cel. Dn. D. BVRCHARDO Fautore plurimum colendo *Meditat. de Anima humana* p. 31. pertinet ad simpliciter credenda; hinc ut e diuerticulo in viam redeam, eam rationem adhuc examinare constitui, quam Cl. ALBERTI *Specim. Med. Theol.* p. 171. proponit, et cuius neruus eoredit, quod corpus se ipsum curare nequeat. Ita enim *cit. loc.* inquit: *Praeter hactenus commemorata superstitutionum medicarum theoreticarum specimen*merito adhuc annotari debet illa confusa corporis humani explicatio, quasi hoc tantis viribus praeditum sit, quibus se ipsum in variis morbidis afflictionibus et motuum vitalium alterationibus, corrigere, emendare, meliorare et curare possit, et quidem per potestatem et voluntatem diuinam --, ecquis non facile per simplicem rationem conuinci poterit, quam contraria et aures atque animum offendens sit assertio, quod

COR-

corpus destruētum, et in illis qualitatibus, quibus se ipsum reparare deberet, laesum, nibilominus se ipsum curet, licet in tota rerum natura nullum tale exemplar occurrat, quod tale subiectum, quod violatum et laesum est, capacitatem habeat se ipsum emendandi, unde in communi rerum naturalium cursu continet, ut subiecta laesa alterius auxilio et ab extra superueniente directione indigeant, laesum enim reparare velle, inuoluit per sanam rationem notitiam laesionis, cognitionem methodi, qua laesio reparari debeat, intellectum mediorum et adminiculorum quibuscum laesio reparanda est, et scientificam atque rationalem capacitatem applicandi haec media ad illum proportionatum finem, qui reparacioni laesionis competit, has singulas vero laesionum et curationum essentiales et necessariae qualitates illi corpori etiam nolentes imputare debent, qui asserunt, quod corpus se ipsum curare possit; quoniam vero nulla ratione demonstrari potest, quomodo per vires et ordinem naturae possibile sit, quod corpus talibus qualitatibus instruetum existat, hinc nihil aliud nisi illud ultimum refugium supereft, quod DEus haec ita voluerit, et has esse leges diuinæ; quasi res opime acta sit, quan-

do tales paralogismi et naturali ordini contrarii effectus diuinae voluntati ludicre imputantur, tali ratione cum voluntate DEi ludere velle religioni ducimus. Verum enim vero tanto zelo opus non fuisset, cum non obstantibus omnibus hisce oblocutionibus, inconcussa tamen manet haec veritas, quod corpus se ipsum in variis alterationibus motuum vitalium morbidisque afflictionibus corrigere atque emendare possit. Nullus equidem inferior corpus plene planeque destruetum se ipsum emendare atque curare neutquam posse. Deficiunt enim ipsi tunc media quibus opus est, vnde etiam nec arte humana, nec omnipotenti horum virorum anima in integrum restitui potest. Quodsi partes tamen aliquam tantum laesionem atque alterationem passae sint, omnino corpus tantum valet, ut reparare damnum possit. Quomodo autem quibusque mediis hoc contingat egregie satis explicat Illustr. IO. ADOLP. WEDELIVS *Diff. de Vi naturae humanae medica.* quando §. XIII. inquit: *Causa nempe efficiens nostrae συγκρίσεως et διανοίσεως est constitutio partium corporis humani*

mani naturalis adhuc residua et praeualens,
 quae uno verbo alias natura, et quidem hoc
 modo se habens, robusta vel robur naturae
 dicitur. In omnibus enim morbis quamdiu
 vita adest, reliqua adhuc existit quaedam
 constitutio naturalis, hoc enim nisi esset, nulla
 actio vitalis posset edi, nec morbus sed mors
 adest. Cumque morbus a constitutione
 partium praeternaturali dependeat, haec au-
 tem naturali contraria sit, in quantum illa
 augetur, in tantum haec minuitur et con-
 tra. Minori itaque gradu si adst constitutio
 praeternaturalis quam naturalis ad-
 huc residua, haec praeualens est, ubi si illa
 hac maior sit, succumbens haec existit, et
 tunc quoque natura succumbens dici consue-
 uit, aequali autem gradu si utraque sit praesens,
 pugna naturae et morbi quandoque vocatur.
 Ex his itaque sapienter monitis discere
 potest Vir Cl., corpus omnino aptum
 esse ut se ipsum restauret, et hoc assertum
 tanquam confusam corporis humani ex-
 plicationem immerito reprehendi. Quan-
 do autem Vir Cl. obiicit, in tota rerum na-
 tura nullum tale exemplum occurrere,
 quod eiusmodi subiectum, quod viola-
 tum et laesum est, capacitatem habeat se

O s ipsum

ipsum emendandi, vellem, ut tantum ad arbores respexisset, istae enim quando sauciatae sunt, maximamque partem corticis in peripheria amiserunt, semeatis reparant, et si modo vna alteraque corticis fibra, adhuc manserit inuiolata, dannum propria virtute resarciant, formando callum. Atque haec omnia citra concursum spiritus cuiusdam insiti praestant, quicquid etiam hic obloquatur Vir Cl. Et si vel maxime nullum aliud exemplum in rerum natura inueniretur, in quo hoc obseruari posset, num ideo in solo humano corpore locum id obtinere nequirit? Certe corpus nostrum adeo artificiose formatum est, ut nullum aliud in vniuersa rerum natura cum eo comparari possit, quidni etiam actus ab aliis corporibus non exspectandos praestare valeret! Et profecto si haec ratio admittenda esset, negari omnino posset, hominem ad distinctas voces formandas aptum esse. An non autem omnium se exponeret ludibri, qui propterea, quod nullum aliud subiectum in vniuersa rerum natura deprehendatur, quod voces articulatas naturaliter proferre potest, id negare vellet, aliis

aliis diiudicandum relinquo. Quod de-
nique obiectionem istam concernit, quam
subiungit, laesum inquiens reparare velle
inuoluit per sanam rationem notitiam lae-
sionis, cognitionem methodi etc. in se qui-
dem omnino verissimum est. Sed quis
vnquam asseruerit, corpus voluntatem at-
que intentionem damnum resarcendi ha-
bere, vnde nec laesionis notitia, nec me-
thodi cognitione opus est. Corpus
enim motibus suis ordinariis, qui in ipsis
adhuc potestate sunt, constitutionem
praeternaturalem adgreditur, et quan-
tum iidem valent, efficit, citra quod in-
tentio damnum reparandi atque laesum
in pristinum statum restituendi vnquam
adfit, quare etiam laesionum et curatio-
num affectiones ex destinato consilio
contingentes neutiquam corpori tribue-
re necesse habemus, aut propter volun-
tatem diuinam ipsi adserere, vti perpe-
ram iudicat Vir Cl., atque nimis praecipi-
tanter arbitratur.

§. XIV.

Ex dictis itaque luculenter apparet,
quam infirma sit hypothesis, animam
plu-

plurimorum motuum extraordinariorum veram directam et immediatam causam esse. Vix itaque operaे pretium foret, vel verbulum addere, nisi adhuc consultum putarem, quanta haec hypothesis methodo medendi incommoda inferat, succinete exponere. Notissimum enim est in morbis illis internis, quorum causa in corpore perstat, et quae morbum fouet, semper, si radicis tolli debet morbus, eo respiciendum esse, ut remoueatur causa, cum et hic valeat regula illa: sublata causa tollitur effectus. Cum itaque vi hypothesos Doctiss. horum Virorum anima sit causa plurimorum motuum inordinatorum, planissime inde consequitur, animam rationalem esse curandam, emendandam, sopiendam, atque quocunque modo a directione anomaliorum motuum retrahendam et ad ordinatos motus reuocandam. Sic enim e. g. in cura paralyseos ita procedendum esse, nullum est dubium, cum teste Cl. ALBERTI *Pathol.* p. 431. Paralysis inde oriatur, quod anima a motuum vitalium exercitio abstineat et cesset, vel quo-

quoniam confusa reddit, vel quoniam ex fastidio et auersione motus, si aliquamdiu cum extraordinariis viribus molestiis et difficultatibus certos scopos cum frustaneo conamine prosecuta est, in quadam parte se subducit. Quid igitur magis necessarium est, quam ut anima eo adducatur, ut pristinos recipiat motus, confusionem, fastidium et auersionem seponat. Ceteroquin enim salutarem scopum obtineri non posse, nemo non videt. Pari modo instituendam curationem esse, quando incongruae, intempestiuae, inconstantes, irregulares, immoderatae commotiones oriuntur, quis dubitat? Fatetur enim Cel. STAHLIVS, vti supra monui, Propempt. Inaug. de Synergia Naturae in medendo., tum euenire haec incommoda, si ipsamet haec energia a priori peruersa et malis consuetudinibus corrupta sit. Nec minus eligendam esse medelam istam, si trepidationes anxiae, delirae, desertiones hypothymicae praesto sunt, eo facilius admitti debet, cum ipse Cel. STAHLIVS c. l. iubeat, ut medicus easdem quocunque possibili modo consoletur, restau-ret,

ret, reficiat. Si in his omnibus refracto-
 rium videat collaboratorem suum, certo et ve-
 raci prognostico, prodi a socio rempublicam,
 mature denuntiet. Eadem ratione diri-
 gendam esse curam in sphacelo, ne vtter-
 ius serpat, itidem negari nequit, cum
Cel. STAHLIVS expresse *Tr. de Ve-*
ra diuersitate mixti et Vivi p. 22. seqq. fa-
 teatur: quod haec talis tam *promptia* et
 tam *lata*, per partes etiam vere adhuc sa-
 nas, diffusio huius corruptelae auerruncari
 posset, si modo *Agens* illud vitale officium
 suum, dico *actionem* suam solitam, facere
 continuaret: dico disertius non simpliciter et
 directe destitueret *a priori*, nulla adhuc ve-
 ra *a posteriori* corruptionis continuatione
 actuali in illis locis prohibente: Apparet hinc
 abunde agentis huius directa culpa et defe-
 ctus in agendo *a priori*. Tandem et in
 imminentे morte officium medici eo ten-
 dere euidens est, cum animae energia
 fatiscens mortem causetur, ut supra ob-
 seruaui, quae ea propter, quantum fie-
 ri potest restauranda atque reficienda
 est. Cum itaque ex dictis nemo non
 agnoscat qualem haec hypothesis me-
 dendī methodum introducat, ista autem
sanæ

fanae rationi atque experientiae repugnet, nemini etiam obscurum esse potest, quid de vniuersa hypothesi sentendum, et quoad ista sanioribus aliorum sententiis praferenda sit.

§. XV.

Obuiam equidem huic obiectioni ire conatus est Cel. STAHLIVS Tr. de *Vera diuersitate corpor. mixti et viui* sine dubio tunc temporis ipsi iam oppositae. Sed quo successu illud praestiterit paucis videbo. Postquam citato loco p. 73. obiectionem ipsam recitarat, ita mox pergit: *Si vero non malitiosa fictio, sed vera ignorantia elenchi huiusmodi imputationis aut explicationis vel acceptationis fundatum esset, certe difficile necessario foret huic mederi, imo impossibile per ordinatam methodum distinguendi atque demonstrandi hoc praestare.* Certe enim irriti hic forent termini illi a priori, immediate, et mediate a posteriori, nedum efficienter, directe, aut instrumentaliter, per indirectum. *Si enim intelligi posset, quid per hos terminos denotari soleat, et quid illud in rerum huius vniuersi economia valeat, non posset quisquam in simplicif-*

plicissimis huiusmodi conceptibus tam perdite labi. His autem rebus irritis, nullum usquam remanet subsidium, nisi ut simplicissima illa via eligatur, quae honesta appellatio mitior, vulgo argumentatio ad hominem $\kappa\kappa\tau\alpha\pi\tau\sigma\tau\alpha$ appellatur. Nempe si ille, qui non ita multo ante in platea conspectus est, postea in superiore aedium contignatione aut in turri conspicatur, non iudicandum est, quasi alis eo subuolauerit, aut a spiritu quoconque eo deportatus sit, aut vento raptus, sed quod omnino pedibus suis facile eo peruenire potuerit. Naucle-rus quando nauem flectere cupit, aut plane sistere impetum cursus eius non opus habet, ut ventum in aliud latus cogat, aut faciei illi, ut pictores rudes delineant, os obturet, sed illic clavum inter aquas obuertendo, hic vela vento subtrahendo, facile voto potitur. Ita etiam fœminæ, hoc sciunt in machina illa assatoria, cuius successum quoties inhibere placet, facilime sstant, non spiram totius machinae impulsorem elasticam propter ea rumpendo; quamuis certissime sciant, quod bac methodo motus ille in solidum sisti possit, sed obiciunt qualemcunque remoram cuicunque, etiam ex ultimis, rotæ, aut ven.

ventilabro illi, quod aliae den Windfang,
aliae die Unruhe appellant. Confido au-
tem certo fore, ut ex his tam luculentis
exemplis cognoscatur, esse omnino possibile, ut
alicuius mouentis si non ipsa efficacia tamen
effectus, dico non mouens illud ipsum ne mo-
uere possit, impediatur, tamen res, quam mo-
uere deberet, ita occupetur, ut illud mouens
liberam suam vim in illud exercere non pos-
sit. Quod certe maxime legitima applicatio-
ne tam ad animam humanam, quam ad lapi-
dem quo horologia publica impelluntur, qua-
drat. Quamquam autem aduersus exem-
plorum evidentiam varia excipi possent,
admittam tamen eadem atque concedam,
ex iisdem cognosci, omnino posse esse,
ut si non mouens ipsum impediatur, quo
minus mouere possit, res tamen, quam
mouere deberet, ita occupetur, ut illud
mouens liberam suam vim in illud exe-
rcere non possit, nondum tamen video,
quid Vir Cl. hac exceptione lucretur, et
quoad eadem a prava suspicione hypo-
thesin liberet. Licet enim haec respon-
sio quadantenus in istis casibus admitti pos-
se videatur, in quibus anima rationalis ex
hypothesi illorum materiae alicuius eli-

P mina-

minationem suscipit, cum ibidem sufficiat, ut materia oppugnetur atque efficiatur, siquidem dubitari nequit, animam rationalem peracta eliminatione motus eum in finem susceptos intermissiones fore, quoniam cessante fine cessat actio. Curatius tamen omnibus circumstantiis aestimatis, nec in isto rerum statu ad aliud quid procedi potest, quam ad animam rationalem. Haec enim ipsa rem, quam mouere deberet, ita etiam occupare debet, ut liberam suam vim in illam exerere non possit, quoniam non solum nihil aliud in toto corpore datur, quod rem occupare potest, cum ipsa omnium motuum vi hypothesos causa unica sit, sed etiam, quoniam et partes, tametsi a medicamentis afficiantur, per se nullum praestare valent motum, et medicamentorum actio in partes nullius est efficaciae, sed anima iisdem afficitur, atque occasione eorumdem ad motus eiusmodi eliminatorys incitatur, prouti aperte confitetur Cl. ALBERTI tam *Diss. de Sensu Vitali* §. XLVI, quam *Tr. de Medicamentorum modo operandi in corpore humano Vino p. 18.*

Vt

Ut itaque satis patescat, admissa licet
 hac explicatione, nihilo tamen minus af-
 ferendum esse, animae rationali medica-
 menta adplicanda esse. Sed posito, mi-
 nime autem concesso, in eiusmodi casi-
 bus, quos antea indicaui, istam expli-
 cationem locum habere, innumera ta-
 men alia in promptu sunt exempla, in qui-
 bus hac exceptione difficultas tolli ne-
 quit. Apparet hoc manifesto ex illis
 casibus, quos *praecedenti* adduxi §., in
 quibus culpa adeo manifeste in animam
 coniicitur, ut nisi ipsam emendetur,
 nunquam sanitas redi possit. Sic enim
 in paralyssi confusio, fastidium, et auer-
 sio efficiunt, quod anima paralysin pro-
 ducat, partemque deserat, quomodo au-
 tem hi affectus nimirum confusio, fasti-
 dium, auersio emendari possunt, nisi
 ipsam adeas animam, eandemque corri-
 gas? nihil enim salutaris effici posse,
 quamdiu eaedem durant, nec ante ani-
 mam ad desertam partem transituram es-
 se, quam hae sublatae sunt, nemo non
 videt, ut reliqua ibi adducta exempla
 non denuo repetam, quae planissime
 euincunt, quod si vel maxime exceptio-

non plane nulla foret, nihilo tamen minus vera saluaque maneat imputatio mea, vi hypotheseos istius animam esse curandam.

§. XVI.

Ast quomodo sese vterius gerunt Vi-
ri Cl.? num etiam in ipsa praxi eiusmodi
formant indicationes, aut commendant
medicamenta, quae animae inferuant?
minime gentium. Inspiciamus tantum
ipsorum scripta practica, et videbimus
Viros Cl. longe alia incedere via. Sic
enim Cl. ALBERTI *Prax. Univ. Cap.*
de Paralyse, quamuis eandem ibidem re-
petat theoriam, commendat remedia san-
guinis motum aequaliter inuitantia et di-
stribuentia, ut sunt temperata alexiphar-
maca. Cum hisce remediis coniungen-
da esse, ait, analeptica siue interna cor-
dalia, in principio autem nitrosa, Cinna-
barina, coralliata, absorbentia, citrata
conuenire. Plurimum vero in eiusmo-
di paralyse externa remedia valere, ut
sunt leniores frictiones, vnguenta, mix-
turae spirituosalae, cataplasmata etc. etc.
quorundam autem haec omnia? num for-

tean

tean ut anima partem ex auersione et fastidio desertam rursus occupet? ridiculum certe foret, si hisce remediis aliquis istud effici posse crederet, cum certe effectus iste longe adhuc minus hac ratione impetrari possit, quam si fustibus quis coerceretur. Ut itaque facile pateat Virum Cl. haecce dum commendat remedia, vtque ista via curatio instituatur, suadet, longe aliam de morbo eiusdemque causa sententiam souere, neque eam quam in theoria admittit, curae cordique ipsi vere esse. Similiter quando in lipothymia ratio sensus et motus vitales cessant, ipsi id animae imputandum est, quippe quae ob certas causas sive morales sive vitales tam repente ab hisce functionibus abstrahit, vti loquitur, Cl. ALBERTI Pathol. p. 434., et nihilo tamen minus quando aegri excitandi sunt, vel potius anima ad functiones iterum suscipiendas reuocanda, commendantur Prax. Vniu. p. 932. Spirituosa varia, suaveolentia, pectoris et hypochondriorum liberatio et relaxatio, aliaque; ast quomodo haec animam reuocare possunt, eamque invitare, vt ad functiones suas redeat, quaenec-


scio intra quem corporis angulum, se abscondit, cum iisdem quidem corpori succurri possit, non autem animae. Aperite itaque relinquitur; Viris his Cl. constitutum non esse, ut in morbis animae medeantur, quod iuxta theoriam facere debebant. Vnde tandem colligo, propriam conscientiam ipsos conuincere, animam rationalem motuum inordinatorum adaequatam atque immediatam causam iure dici atque haberi nunquam posse.



Me 1201

(X225 7279)

ha



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

PETRI CHRISTOPHORI
BURGMANNI,

Med. Doct.

S V C C I N C T V M
HYPOTHESEOS STAHLIANAE
E X A M E N

DE

ANIMA RATIONALI
CORPVS HUMANVM
STRVENTE.

MOTVSQVE VITALES

T A M
IN STATV SANO

QVAM
MORBOSO ADMINISTRANTE.

L I P S I A E,

Apud IO. FRID. GLEDITSCHII B. FILIVM,

1731. 48